



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hermanni Hamelmanni, S. S. Theol. Licent. & dum viveret
Superint. Oldenburgici, Opera Genealogico-Historica, De
Westphalia & Saxonia Inferiori**

Hamelmann, Hermann

Lemgoviae, 1711

VD18 11397225

4. H. Hamelmannus de quibusdam Westfaliæ Viris scientia claris, qui
explosa barbarie puritatem Romanæ Linguæ toti Germaniæ attulerunt
Oratio.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56092](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56092)

DE QUIBUSDAM
WESTPHALIÆ VIRIS
SCIENTIA CLARIS,

qui,
*Explosa Barbarie, puritatem Romanæ linguæ
toti Germaniæ attulerunt,*

ORATIO,
Quæ etiam laudem WESTPHALORUM continet.

Auctore
HERM. HAMELMANNO, Lic. Theol.

Lemgovia, An. M D LXIII.

M. HENRICUS SIBÆUS OLPHENIUS, Senior.

SEire cupis Latio per quos data Musa Latina
Teutonibus duris, qua caruere diu?
Hunc lege veridicum, quoniam dabit illa, libellum
Cujus Hamelmannus scriptor & autor erat
Quamvis est parvus, magno tamen esse labore
Congestum, nemo quin fateatur, erit.

BALTHASAR COPIUS STROMBERGAS.

Quos tulerit quondam doctos tibi Westvalis ora,
Edocet hic grata te breuitate liber.
Langius hinc canitur, canitur quoque *Buschius* ille
Nobilis: excellens *Hegius* hinc canitur:
Murmelius canitur vates, caniturque *Rodolphus*,
Qui gerit à cultu nobile nomen agri.
(Sed quo iudicio, loquitur satis ipse libellus,
Appositus nostris vir sit uterque viris.)
Denique deliciae magni celebrantur *Erasmi*
Goclenus, patrii lausque decusque soli.
Hos tu Barbaries hosteis foedissima nostin' ?
Et caput & jugulum qui petiere tuum.
Finibus hi poterant primum te pellere nostris:
Improba quos nimis es depopulata diu.
Si prius Heroas tam fortes fata dedissent,
Hæc, magis, haud dubites, aurea secla forent.
Nam certi quod sunt hoc nostro tempore quidam,
Majorum hoc ætas nonne futura fuit ?
Hæc verò quamvis numerentur secula dura:
Seclis dixisses æquiparanda bonis.
Qui gestis igitur nostros proscindere cives,
Quales sint, debes hinc didicisse prius.

*Amplissimo Heroi, pietate, virtute, sapientia & eruditione
tum etiam nobilitate generis prestantissimo*

DOMINO,

Dn. GUILIELMO KETTELERO,
Quondam Monasteriensium Præfuli dignissimo &c.

Suo & omnium studiosorum patrono colendissimo.

EXcelluit ingenio, puritatis latinæ cognitione exacta, eruditione multa, eloquentia, iudicio, & autoritate vir nobilis *Rodolphus Langius*, qui in Westphaliæ metropoli inclyta Monasterio olim Canonicus fuit, & ibidem literarum studia rexit & salubriter promovit. Is ante annos octoginta diligentem navavit operam, ut non solum in Westphalia, sed etiam in vicinia & apud externos, Romani eloquii sinceritas, explosa barbarie, suum in Scholis & apud literatos nomen ac dignitatem consequeretur. Ejus studium, iudicium atque laudatissimum propositum quamvis quidam momi canino dente tunc rodere non cessarent: fuerunt tamen, qui id summis elogiis atque encomiis celebrant, inter quos fuit per id tempus lumen linguæ latinæ magnus ille *Rodolphus Agricola*, qui sic ad Rodolphum Langium scribit: (nec enim pigebit integram ejus apponere Epistolam, quæ extat in tomo 2. operum Rodolphi, in epistolis ejusdem ad diversos:)

Gaudeo humanissime Rodolphe, communiumque studiorum nostrorum nomine plurimum lætor, tum vero gratulor gloriæ tuæ, eamque imprimis admiror. Ita consentiente ac prope publica omnium voce, tuæ ad me doctrinæ summæque eruditionis laudes perferuntur. Quocumque me verto, quemcumque doctum convenio, omnia tui plena sunt, omnes te narrant, neque ullus, qui de literatis est, te præterit sermo. Rem facis me herculé ut arduam, ita quoque pulcherrimam & hæc claritate nominis tui dignissimam, qui veterem illam & plane ingenuam eruditionem excitare in hac præsertim barbarie afferereque audes. Equidem ingenii tui vim honestissimamque animi institutionem, quibus dignè persequar verbis, non invenio. Unum tibi hoc affirmo (neque velim id à me dici blandius credas) ingentem de te concipio fiduciam, summamque in spem adducor, fore aliquando, ut pri-
scam

scam insolenti Italiæ & propemodum occupatam bene dicendi gloriam extorqueamus, vindicemusque nos & ab ignominia, qua nos barbaros indoctosque & elingues, & si quid est his incultius, esse jactitant, exolvamus, futuramque tam doctam & literatam Germaniam nostram, ut non latinius vel ipsum sit Latium. Proinde quæso adnitere, & cura omni, omnibusque (ut ajunt) nervis contendito, ut quanto studio hanc tibi gloriam parasti, tanta eam constantia tueare atque confirmes. Aude sapere ita ut facis, & quamvis magnam indoctorum manum aude contemnere. Nihil te multitudo moverit, ipsa plerumque sibi obstat turba, & rarum est, ut inter se consentiant, quibus non convenit cum veritate: provocandi sunt hostes illi literarum & in faciem coarguendi, ne sic quidem facile erit, ut in viam redeant & desipere desistant. Ego quidem quanquam & molliore sum fronte, & propter conscientiam tenuioris ingenii, minus audeam, inardesco tamen nonnunquam & bilem ferventis stomachi quandoque acerbius effundo. Mallem hæc præfens tecum agere, & spero, si in patria hanc hyemem manebo, temporisque ratio patietur, fore ut te conveniam. Est enim mihi, si quid aliud, certe hoc desideratissimum, ut te videam, aliquotque tecum exigam dies utinam totam ætatem liceret, quod si unquam licebit, malo id doctior & dignior tuis literis, faciam, possumque quanto te animo ante colere cœpi, tanta commoditate atque concordia eruditionem tuam & studia sectari. Vale Dat. Ziloe, &c.

Hæc demum magna laus est ante annos 80. scripta ab *Agricola de Langio*, qui ex nobilitate ditionis Monasteriensis, cui tu ante paucos annos summa cum laude justissimè præfuiisti, Heros omni virtutum genere instructissime, originem duxit, & in ipsa urbe vixit & mortuus est. Nam hic fuit quasi primus vel saltem inter præcipuos ex iis omnibus, qui profligatis barbararum vocum tenebris, lucem Latinitatis & Poëseos in Germania accendit. Hunc est imitatus *Hermannus Buschius*, similiter nobilis & in eadem ditione natus, qui hoc strenuè perfecit, quod Langius incepit; in quo etiam magni illius *Joachimi Camerarii* præceptor, *Georgius Helius*, ut Camerarius refert, in epistola præfixa Ciceronis Epistolis Lipsiæ anno 57. impressis per id tempus, quo Buschius Lipsiæ hæserat, promptam & expeditam elegantiam quacunque de re & quocunque in negotio verba faciendi (quam Buschius dixerat sibi legendis & relegendis Ciceronis epistolis paratam) admiratus


tus fuit olim vel præcipuè: Hi duo itaque verè nobiles fuère, quos tua Excellentia meritò imitatur. Tempore quoque Langii atque Agricolaë id haud segniter tentare cœpit, ut profligaretur barbaries, *Hegius*, ejusdem ditionis alumnus, ad quem sic scribit Agricola: Intelligo te quotidie limatiorem & politioem fieri, & summam in spem adducor, aut tuo ductu, tuis monitis, & institutione, aut nullius præterea viribus cultiores literas in Germaniam perventuras, & arcem aliquando occupaturas, &c.

Fuit certè in ea re veridicus vates Rodolphus Agricola, quod in hac oratione prolixius demonstratum est. Et quanquam eodem tempore *Antonius Liber, Susatensis Westphalus* (de quo, ut etiam de *Hegio* in Epistolis Rodolphi) in urbe Campensi, Amstelrodamo & Alcmaria per Hollandiam fideliter juventutem, teste Alardo Amstelrodamo, ad ipsos fontes latinæ linguæ deduceret, & vir esset summæ eruditionis, & per totam Germaniam inferiorem clarus, ut meritò cum illo magnam aleret familiaritatem Agricola, eique sapius scriberet, ut comilitoni in studiis paribus, denique sic de illo sentiret, quod sæpe hujus Antonii ingenium & eruditionem in epistolis ipsius, omni ex parte quam pressissimè consideraret, & nihil aliud sibi libère diceret, quàm tam eximiam humanarum artium peritiam hujus Antonii, tota animi intentione tractare: tamen in ea re celebrior fuit *Hegius* (quanquam & Antonius ille Westphalus suo sit minime privandus laude) ex cujus Schola profilierunt, qui per totam Germaniam studia humanitatis correxerunt & restituerunt. De quibus cum in hac oratione (quæ ipsa tamen humilis est & non nimis polita, agnosco enim meam curtam supellectilem) agam, cui obsecro alii illam offerrem & dedicarem, quam tibi, Heros splendidissime, qui eam Westphaliæ Regionem & urbem, in qua viri illi aut nati sunt, aut vixerunt sive Scholastici sive Magistri, de quibus hic sermo instituitur, quam sanctissimè & justissimè administraſti, in qua etiam te unum omnes subditi amarunt & venerati sunt plurimum, imò adhuc amant & osculantur unicè. Interim te tam amplæ ditionis regimine ultro, minimè curans honores, titulòs & bona seculi, (quæ quidem omnia, alii ut plurimum venari solent) abdicasti hac solum de causa, ut in studiis pietatis & literarum tantò commodius versareris. Quibus etiam cum ita te imbueris, ut apud omnes laudem merearis, & sis ipse inter Westphalos præcipuus, meritò te delectatum iri opinor commemoratione harum rerum. Vivunt

adhuc in Westphalia, qui idem, quod olim Majores nostri tentarunt, sedulo perfecerunt hactenus in Scholis, idque magna cum laude, inter quos sunt *D. Joannes Monhemius* cum suo *Fabritio*, *Petrus Scarpenbergius*, *D. Joan. Scævastes*, *Bernhardus Lingius*, *Hermannus Keisenbrochius*, *Bernhardus Copius* cum fratribus, *Christianus Sleibingius*, *Hermannus Hudaus*, *Albertus Lonicerus*, *Lubertus Florinus*, *Joannes Dickmannus*, omnes Westphali, præterea *Joannem Telgium*, *Burenium*, *Joannem Babelium*, *Hermannum Wippermannum* & alios Westphalos, qui id aliibi extra Westphalam non neglexerunt. *Glandorpius*, qui nunc regressus est in patrias oras, quid per Saxoniam præstiterit, multis notum est. Sed de his & similibus major erit occasio dicendi in *Catalogo virorum illustrium Westphalia*, quem in eum texerem finem, ut viros nostræ patriæ, supinæ oblivionis situ obductos neglectosque rursus ex profundis quasi tenebris eruerem & posteris notos facerem, nisi mihi deessent patroni, quorum id auxilio fieret. Sed quia ad *T. Cels.* quæ suum stemma literis & rerum experientia tum pietate & moribus ita exornavit, ut gratia & auctoritate apud potentes mundi hujus plurimum possit, revertor, fecit me hæc eidem inscribendi audaciorem, tua illa benevolentia, quam mihi olim clementer admodum obtulisti per epistolam. Accipiat ergo *T. Cels.* hæc tenuia grato animo, donec majora dare possimus. Valeat *T. Cels.*

T. Cels. addit.

Hermannus Hamelmannus,
Licentiatu Theol.



ORATIO

de

Quibusdam Westphaliæ viris scientia claris, qui ex-
plosa barbarie, puritatem Romanæ linguæ toti Germaniæ
attulerunt, ubi etiam laus Westphalorum interim descripta
reperitur.

SUMMARIÆ.

- | | |
|--|---|
| 1. C ausas instituti sui auctor in
Exordio sistit. | 23. (s) Jo. Esticampi, |
| 2. Qua de re acturus sit in Propositione
& sub initium tractationis docet. | 24. (t) Theodortci Ulsenii, & |
| 3. ALEXANDRI HEGII laudes
auctor affert (a) ex Erasmo. | 25. (x) Jo. Gymnici, |
| 4. (b) Ex Murmellio, | 26. Varia variorum de JOHANNÉ
MURMELLIO encomia exhi-
bentur: nempe (a) Joann. Gymnici, |
| 5. (c) Ex Philippo Melanchthone, | (b) Buschii & multorum aliorum, |
| 6. (d) Ex Hermanno Buschio, | 27. (c) Petri Nehemii Drolshagii &
Jacobi Montani, |
| 7. (e) Ex Joanne Glandorpiæ, | 28. (d) Glandorpii plurimorumque
aliorum, |
| 8. (f) Petro Aquensi, | 29. (e) Eobani Hesti & (f) Hermannii
Tulichii, |
| 9. Et (g) ex Petro Vincentio. | 30. (g) Joannes Suavenii, |
| 10. RUD. LANGIUM auctor dilau-
dat (a) testimonio Joh. Tritenhe-
mii, | 31. (h) Alardi Amstelrodami, |
| 11. (b) Alexandri Hegii, | 32. (i) Gerhardi Noviomagi & |
| 12. (c) Rudolphi Agricola, | 33. (k) Bernhardi Lingii. |
| 13. (d) Buschii, | 34. RODOLPHI AGRICOLÆ co-
gnomenta laudis adducuntur, qui-
bus insignitus fuerit (a) ab Eras-
mo, |
| 14. (e) Murmellii & | 35. (b) à Joann. Tritemio & |
| 15. (f) Joannis Nehemii, Drolshagii. | 36. (y) à Philippo Melanchthone. |
| 16. HERM. BUSCHIUM deprædi-
dicat auctor verbis (a) Rod. Langii, | 37. CONRADUS GOCLERIUS
fert laudem (a) ab Erasmo, |
| 17. (b) Erasmi, | 38. (b) ab Alardo Amstelrodamo. |
| 18. (c) Murmellii, | 39. TIMANN. CAMENERUM
laude coronat Josephus Horlenius. |
| 19. (d) Eobani, Francoberg à-Hesti, | |
| 20. (e) Euricii Cordi, | |
| 21. (f) Joh. Gastii, | |
| 22. (g) Hermannii, Comitum Nuenarii, | |

40. **JACOBUM MONTANUM** celebrat Joannes Prael.
41. Perstringitur illorum sententia, qui Conradum Celten primum Germaniae Poëtam extitisse perhibent.
42. Langius primò Musas in media barbarie vocavit in terras Westphalicas.
43. Idem in superiori Germania praestitit Rodolphus Agricola.
44. *Wimphelingus*, institutus à Ludovico Dringenbergio Westphalo, cum suis Discipulis Beato Rhenano & Jo. Sapido insectatus est barbariem & vulgare sive Rithmaticum genus faciendi versus Latinos.
45. Erasmus Roterodamus fuit discipulus Hegii Westphali, qui cum Agricola, Reuchlino aliisque de barbaris libris, vocabulis aut impuritatibus lingua Latina extirpandis laboravit.
46. Andreas Canter etiam de extirpanda barbarie cogitavit; sed
47. In eo instituto uti primus ita & totus fuit Hegius & Rodolphus.
48. Hegius non solum emendavit Grammaticam, sed etiam reliquas artes & scientias.
49. Herman. Torrentinus statim post suum praepceptorem corrigere instituit Poëticam Latinam & Doctrinale Alexandri.
50. Sed illud feliciter perfecerunt demum Buschius, Murmellius, Timannus, Caesarius, Jacobus Greselius, Esticampius, Bartholomaeus Colonienfis & Georgius Sibutus.
51. Timannus Camenerus annisus quoque fuit extirpare barbariem è Scholis, conscripto compendio Grammatices, Dialectices & Physices.
52. Eidem labori incubuit Johannes Murmellius, Ludolphus Heringius, Petrus Nehemius Drolshagius & Theodorus Rotarius.
53. Buschii gesta & disidia cum Timanno Heverlingio in Schola Rostochiensis enarrantur.
54. In Academia Rostochiensis intruerunt Herman. Ludinhusanus, Arnoldus Burenus & Henricus Velpius, studiis humanitatis & Philosophiae.
55. Griphiswaldia celebris quoque fuit Hermannus Bonnus, Westphalus.
56. Buschii fata, scripta & cultores recensentur.
57. Crappus & Otto Beckmannus Westphalus laudantur.
58. Monasterii agentes viri Doctissimi enumerantur.
59. Longicampianus Mathematicus Lipsia pulsus concessit Coloniam.
60. Otto Beckmannus & Tulichius ambo Westphali, hic primum Lipsia atque ille Witteberga facti sunt Professores; sed & Tulichius mox Wittebergam ad Professionem evocatus fuit.
61. Buschius Colonia omnes ingenii nervos intendit, ut Alexandrum Gallum barbariemque extirparet;

- Dein Reuchlinianis se conjunxit; Denique Buschius cum Glandorpio Marburgi publice bonas litteras professus est.
62. Murmellius omni studio contendit, ut Scholis exenteret Alexandrum Gallum.
63. Strenue hoc etiam Schwollis per fecerunt Hermannus Struvius & Jo. Alexander Meppensis; sicut Osnabruga Henr. Sibens Olphenius.
64. Idipsum etiam meditatus est Jacobus Montanus, qui Hervordia & ore ac scriptis docuit; sicut Minde Bartholomaeus Coloniensis cum Pollio laboravit, ut à Scholis barbari auctores pellerentur.
65. ERASMUS omnem operam navavit, ut Academia Lovaniensis purgaretur ab omni barbarie.
66. In Conclusionem docet Auctor, quod Germani multum debeat Westphalia obrenascentes bonas litteras.

DICTURUS de Westphalia nostra & viris celebribus, qui ex ea oriundi sunt, & postea de multis aliis, qui apud majores in Germania floruerunt: prius omnes rogabo, ne id mihi vitio vertant, cum & Poëta canere non erubescat:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos

Ducit, & immemores non finit esse sui.

Constat enim, nos & patriæ & amicis, ex Divini illius Philosophi sententia, natos esse. Quis itaque civibus suis, quos solemus conterraneos vocare, hunc honorem non deferret, ut ipsorum famam nomenque tueretur atque magnificaret? Cum autem aut exigua aut planè nulla de nostra Westphalia habeamus testimonia in Historiis vel Cosmographiis, & illi quoque, qui de viris illustribus & ipsorum editis scriptis aliquid in lucem ediderunt, aut paucos ex nostris, aut si quos ex Westphalis in suis referunt Catalogis, eorum tamen lucubrationes vix ad dimidium recenseant, indignè equidem hoc & non sine stomacho tuli: sæpeque mecum cogitavi de certo aliquo Catalogo, in quo conscribi possent illustres scientia & scriptis viri: qui vel in Westphalia nati sunt, vel in ea vixerunt. Interdum etiam optavi aliquem prodire ex nostris eruditione præstantem, qui de rebus gestis, situ, conditione & locis nostræ patriæ diligentius inquireret, & hæc deinde probè perspecta & cognita literis mandaret, ut hoc pacto aliquid solidius & clarius quàm hætenus de nostra patria extaret. Sed cum neminem adhuc, qui huic operi manum applicuisset, cognoscerem, cœpi ego considerare Westphalicorum virorum excellentia dona, multaque de his expendere,

tum etiam ex multorum scriptis, seniorumque certa relatione, quæ de nostris Westphalis præclariora acceperam, in commentarium referre. Atque hæc nunc ita breviter pro mea simplicitate & mediocritate referre decrevi. Institui interim hic potissimum ostendere, opera Westphalorum, & simul eorum, qui in Westphalia vixerunt, ibique hospitium habuerunt, & ei quasi Coloni ex vicinia fuere, vel cum Westphalis familiariter vixerunt, importatam esse in Germaniam linguam Romanam & explosam barbariem, ut non immerito Germania huic nostræ potissimum regioni præ reliquis suis provinciis hoc unum acceptum referat quod nunc Musas ipsas latine & græce ubique loqui audiat. Illud quaecumque propositum nostrum, ut ipso Filio Dei approbante aggredi optamus: ita etiam & vos monemus, ut tantò magis diligentiusque percipiatis, quantò est cuiuslibet sua patria charior, &c.

Proferam autem certa clarissimorum nostri sæculi virorum testimonia de quibusdam Westphalis, item iis, qui in Westphalia vixerunt, aut cum Westphalis familiaritatem habuerunt, primo loco: deinde ordine enumerabo quid Westphali, aut qui jure hospitii, viciniae, familiaritatisve, sive institutionis, Westphalis & ipsorum patriæ addidit fuere, in diversis Germaniæ locis, superiori patrum memoria, effecerint. Occurrit ergo in hac nostra relatione primo loco HEGIUS, deinde LANGIUS, tertio BUSCHIUS: quarto autem RODOLPHUS AGRICOLA & JOANNES MURMELLIUS: quoniam ut ille in vicinia Westphaliæ natus est, & cum Westphalis qui suo tempore scientia multis præstabant, familiaritatem summam habuit: ita huic, dum in ea per multos annos hospitium haberet optimum, non exigua in nostra Westphalia accessit eruditio, imò præclariora suarum lucubrationum monumeta apud nostrates & cudit & divulgavit: deinde de GO-CLENIO, TIMANNOQUE & multis aliis referemus. Et quidem nunc proferemus testimonia non quorumlibet, sed fide dignissimorum omniumque quos sol vidit doctissimorum, Erasmi & Philippi: deinde & aliorum excellentium virorum: qui etsi cum istis non possint conferri, secundas saltem post illos partes habere merentur & jure debent.

3. *Erasmus* in Dialogo qui Ciceronianus inscribitur: Westphalia nobis dedit ALEXANDRUM HEGIUM, virum eruditum, sanctum & facundum, sed qui gloriæ contemptu nihil magni est molitus. Idem in Chiliadibus centuria IV. in proverbio: Quid cani & balneo, &c. cum de Rodolpho Agricola differuisset sic pergit: His itaque tam plenis, tamque

que absolutis laudibus viri (Rodolphi) equidem fateor me peculiarius etiam atque impentius favere, quod mihi admodum adhuc puero contigit uti præceptore hujus discipulo *Alexandro Hegio* Westphalo, qui ludum aliquando celebrem oppidi Daventriensis moderabatur, in quo nos olim admodum pueri utriusque linguæ prima didicimus elementa: vir, ut paucis dicam, præceptori suo simillimus, tam inculpatæ vitæ, quàm doctrinæ non trivialis: in quo unum illud vel *Momus* ipse calumniari fortasse potuisset, quod famæ plus æquo negligens nullam posteritatis haberet rationem. Proinde si quæ scripsit, ita scripsit, ut rem ludicram, haud seriam egisse videatur; Quanquam vel sic scripta sint ejusmodi, ut eruditorum calculis immortalitatem promereantur,

Murmellius in Epigrammate, quod operibus *Torrentini* subjectum est,

Dux etenim nobis doctissimus *Hegius* ille Præceptorque fuit, &c.

Idem libro 1. *Didascaliorum* cap. 9. *Alexander Hegius* homo græcæ & latinæ linguæ cum primis eruditus & præceptor quondam meus &c. & cap. 21. *Alexander Hegius* vir non minus græcæ linguæ quam latinæ doctus, &c.

Philippus Melancthon in oratione de *Erasmus* Roterodamo, quæ in 4. tomo extat, & in primo tomo *Intimationum* vel *Scriptorum* publicè propositorum *Wittenbergæ*:

Literas Latinas & Græcas *Daventriæ* didicit (*Erasmus*) in *Alexandri Hegii*, qui familiaris fuit *Rodolpho Agricola*, Schola. Et cum ostenderat *Hegius* hospiti Scholam ingredienti adolescentum scripta, & ipse tyrocinium illud probaret gratulareturque studiis, prætulit tamen *Erasmicum* scriptum ceteris scriptis propter inventionis acumen, orationis puritatem, & figuras apte, ceu flosculos, interspersas: Eoque scripto adeò delectatus est, ut de lineamentis quoque de indole conjecturam sumeret. Accersitus igitur è sua clasie adolescentulus ad *Hegium* accedit. Ibi *Rodolphus* arreptum capillo in vertice, tacitus intuetur *Erasmus*, & quasi considerata indole ex lineamentis adjecit hanc vocem: Tu eris magnus, &c.

Herman. Buschius adhuc juvenis epigramma scripsit de *Hegio*, quod in *Hegii* opusculis reperi, & postea etiam in *Buschii* Epigrammatis.

Si quis in Aonio posuit vestigia luco
Scindit & intonsam si quis ab arte lyram;

Si

Si quis Grajorum didicit facunda virorum
 Scripta, vel Aufonia flumina digna toga:
 Si quis Romanas acies & praelia novit,
 Vel quæ Cumæus phartheniasque docet:
 Tu qui clara tenes Pellæi nomina Regis,
 Dispeream, si non hic mihi solus eris, &c.

Idem Buschius inscripsit sua Epigrammata in libros 2. divisa, (quæ partim in Italia, partim in Westphalia luserat circa annum 1490. vel paulo post sub Episcopo Monasteriensi Henrico Swartzburgico) suo præceptori *Alexandro Hegio*, ubi in præfatione ipsum magnificè celebrat, præcipue autem sic in fine ait: Hanc editionem præcipitavi, quam imprudenter, eamque tuo nomini tuæque integritati dedicavi, ut eo securius tuo præsidio tuoque patrocínio in lucem exiret. Arbitratus itaque si ea suavitate, eo ornatu, ea denique ubertate (ut poëmata debeant) carmina nostra non fluerent, tu ea facilimè pro tua in me benevolentia, quæ mihi à teneris annis, cum ludum tuum ingrederer, tuoque auspicio prima artis grammaticæ rudimenta imbiberem, perspectissima fuit, ab omni livoris morsu, atque invidia vindicares. Vale patriæ nostræ decus & ornamentum, & me discipulum tuum tuæ virtuti obsequentissimum ama, &c.

7. *Joannes Glandorpius* cum reversus in Westphalam susciperet administrationem Scholæ Hervordianæ, Epistolam sive Elenchum de suo instituto ad Lectorem evulgavit in quo hæc legimus: Quàm famigeratus & celebris est ubique vir doctissimus & optimus *Alexander Hegius*, ex cujus ludo tanquam ex equo Trojano clarissimi per Germaniam viri prodierunt, &c.

8. *Petrus Aquensis*, Canonicus ad S. Martinum Monasterii, vir valde doctus in Epistola ad Timannum Camenerum, quæ Timanni compendio Dialectices est præmissa, sic scribit:

Tu hoc præconium occupas, ô *Timanne*, & aliis Rectoribus Gymnasiorum mustitantibus atque cunctantibus hanc laudem præripis, ut tu vel primus vel solus hunc campum aperias, ut vel ipse quotidie aliquid colligas, quod juvet rem literariam, vel alios bene de literis meritos educas in publicum & in Scholis tuis constituas, &c. Et mox: Cœperat idem aliquando facere *Alexander Hegius*, præceptor quondam notus, qui hæc Philosophica commentaria, quæ in manibus vulgò jaçantur, in octingentis & ultra locis taxaverat. Fuit ad idem quoque accen-

fus & inflammatus opus *Rodolphus* quondam Agricola, & idem præceptor noster, quem ego virum, cum in studiis Heidelbergæ versarer, aliquoties in literario certamine publico animadverti convincere philolophantes istos ex incorrupta & syncera Aristotelis lectione, & ex vetustis & probatis illis autoribus, veram eos Aristotelis sententiam & verum dogma nescire: Sed promovere (nempe *Rodolphus* & *Hegius*) in hac re & prodesse non poterant, & quod paulò timidius aggrediebantur hoc munus, quippe quod nimia offundebantur istorum pertinacia, & quod nullo præjudicio certabant, &c.

Petrus Vincentius Uratislaviensis in oratione de vita Doctoris *Joannis* 9.
Bugenhagii Pomerani :

Cum Grammaticam & Musicam didicisset (*Bugenhagius*,) in *Academiam Grypswaldensem* missus est, ibi & tyrocinium linguæ latinæ melius habuit, &c. Et mox: Erat natura non solum capax doctrinæ, sed etiam avida, & accendebant aviditatem tempora, quia *Hegii* *Daventriensis* & *Rodolphi Agricola* & *Hermanni Buschii* scriptis taxata erant Solœca priorum temporum & revocabatur juvenus ad diligentiam rectius loquendi, &c.

Nunc autem & de *LANGIO* quædam proferenda sunt testimonia 10. doctorum. *Joannes Tritenhemius* in libro de viris illustribus folio 171. de *Langio* sic scribit: Vir in divinis scripturis studiosus & in secularibus eruditissimus, philosophus, orator, & poëta celeberrimus, ingenio subtilis & disertus eloquio, &c. *Alexander Hegius* epigramma scripsit 11. ad poëtas *Westphalicos* (sic eos vocat) *Rodolphum Langium*, & *Hermannum Buschium* equestris ordinis, quod extat in editis suis carminibus, ubi inter alia sic de his scribit:

Nil est quod fieri nequeat, jam ferre poëtas

Barbaria in medio *Westphalis* ora potest.

Langius hanc decorat majorum sanguine clarus,

Monasteriaci lausque decusque soli.

Primus *Melpomenem* qui rura in *Westphala* duxit,

Cum caneret laudes *Maxime Paule* tuas.

Buschius hanc modulis & stemmate clarus honestat,

Cum te virgo parens numine foeta canit.

Vatum terra altrix tantorum *Westphala* gaude,

Lumine te dextro docta *Thalia* videt, &c.

N

Scriptit

12. Scripsit ad *Langium* sæpius *Rodolphus Agricola*, ut epistolæ quæ extant, indicare videntur: & ipsi dedicavit Axiochum Platonis à se versum, suamque versionem totam ejus, ut viri docti, judicio subjecit *Agricola*, & magnificet ob eximiam eruditionem *Langium*.

13. *Buschius* alibi Eucharisticon carmen scripsit *Langio*, ubi ipsum in titulo Theologum, Philosophum, oratorem & poetam ornatissimum vocat, & deinde sic scribit:

Si cui nostra pias debet lyra carmine grates,

Si teneor studii cui dare dona mei:

Tu facis ignavos abeat ne segnis in annos

Vita &c. Item

Te duce Musa favet, datur & mihi copia multi

Codicis &c.

Idem libro 1. carminum vel Epigrammatum suorum scripsit longam Elegiam in præconiuu *Langii*, Canonici Monastariensis doctissimi, de suo somnio, ubi copiose refert græcos & latinos poetas, oratoresque quos in *Langii* Bibliotheca viderit per somnum Romæ, sicque canit postea inter alia, &c.

Ingenio præstans degit Citharaque *Rodolphus*,

Contiguas istis obtinet ille domus.

Hic posset lybicos cantu mollire leones,

Delphinesque sua detinuisse lyra.

Et stare instabiles modulatu cogeret amnes,

Et sylvas, montes aëreosque sequi, &c.

Postea describit, quomodo in ædibus *Langii* & chorum Musarum omnesque Deas viderit, cum palmis & frondibus & lauru quasi in suo horto morantibus, & quomodo cum ipsis ante aras earum quiescere soleat *Langius*, &c. Item in libro 2. ad *Langium* scribit Epigramma de servatis ipsius ædibus & libris ab incendio vicinarum domorum. Hinc inter alia sic ait.

Dii melius, sanctum quod servavere poetam,

Urgeret tantum ne fera tanta virum.

Idem ibidem Elegiam scripsit ad *Langium*, ubi inter alia sic scribit:

Hic tua vena citò properet comptissime *Langi*,

Cujus facundo stillat ab ore favus,

Dum canis, è glauco se Mincius exerit amne

Udus, & antiquum Tityron esse putat.

Smyrna Melesigenem ruptis dulcedine vinculis
 Jurat ab infæna sede tulisse pedem.
 Orphea saxa novum nemora admirantur & undæ,
 Nec canibus metuit proximus esse lupus.
 Nec timidæ fugiunt Aquila veniente volucres,
 Nec lupus infirmam fauciat acer ovem, &c.

Idem in præfatione Epicedii sive carminis sui funebris de obitu
 Joannis Murmellii ad Langium scribit:

Artium bonarum studio adeò flagrabat (Murmellius,) ut fere ne-
 minem, de quo aliqua saltem haberetur eruditionis elegantiorisque li-
 teraturæ opinio, aspernaretur præceptorem. Te tamen imprimis ille,
 veluti Delphicum quoddam oraculum, observabat: Te quoties quid
 hæsitabat consulere, te audire solebat, tibi denique tantum tribuere,
 animum induxerat, ut non aliam eorum, quæ abs te accepisset reddend-
 dam causam existimaret, quam Pythagoræ olim auditores reddere
 consuevissent iis, qui eam à se rogassent: Solùm namque hoc unum
 respondebant *divòs, iþa*. Quanti etiam me fecerit vir humanitatis can-
 didissimæ, præ se ferunt aperte adhuc complures officiosissimè illius
 ad me scriptæ Epistolæ, &c.

Sed audiamus ipsum *Murmellium* de Langio elegia prima libri pri-
 mi elegiarum moralium sic canentem:

Langi Germanæ gloria terræ.

Item in elegia prima libri 2. sic:

Nunc te quæso tua, vates clarissime, lima
 Corrige, judicio, non satis apta, tuo &c.

Idem in libro Epigrammatum inter alia.

Quod verò nodos & sensa recondita vatum
 Dissolvis, longè debeo plura tibi, &c.

Idem Elegia prima libri 3. elegiarum Moralium:

Æquiparas Flaccum Lyrici modulamine cantus.

Idem in dedicatoria Epistola librorum quatuor elegiarum Mora-
 lium (anno 7.) vocat illum vatem undecunque doctissimum, & in ipsa
 Epistola ait: Non sum ea vel temeritate vel arrogantia, ut *Langium* poë-
 ticæ facultatis multarumque literarum facile principem meis incultis

versiculis oblectatum iri, unquam mihi persuaserim. Et in fine. Idcirco ad te priorum doctissime & doctorum pientissime mea hæc mitto elegidia, ut pro veteri illa tua in studiosos omnes humanitate, quum forte vocaverit, ad limam ea tanquam alter Quintilianus acerrimo iudicio revoces, &c. Et ne quis putet hæc a tribus Langii data esse à Murmellio, cum istic præsens hæc scriberet, adferemus ex istis quædã, quæ ab hoc procul absens Alcmariæ in Hollandia scripsit, nempe ex dedicata Epistola commentariorum Murmellii in Boëtium, ubi ipsum, quos se novisse ait, omnium disertissimum vocat, & deinde in ea re, quod mendas complusculas tum è prosa oratione, tum è versibus sustulerit, adjutum se esse in primis industria & opera Langii ejusque multijuga eruditione ingenuè fatetur, super cujus amplissimis laudibus (id quod Salustius de Carthagine ait) silendum potius putat, quam parum dicendum, &c. Et idem interim quoque absens tunc repetebat adhuc Murmellius, quod etiam præsens scripserat de Langio ante septennium.

15. *Joannes Nehemius, Drolshagius*, quem in plurimis locis vocat Murmellius doctissimum virum sive literatissimum, scripsit Scholia in aliquot carmina Langii anno 5. ubi passim Langium celeberrimum poetam, vatem Westphaliæ insignem, gloriam patriæ, hominem imperitæ doctum & in omni facundia præstantissimum appellat, &c.

16. Nunc tendimus ad illa producenda testimonia, quæ doctissimi Germaniæ viri de BUSCHIO protulerunt, etsi Hegii & Petri Vincentii testimonia de illo audiverimus.

Rodolphus Langius in Hermanni Buschii, equestris ordinis docti præclarique adolescentis, suavissimi conterranei sui carmina tunc imprimenda sic ante 70. annos scripsit inter alia:

Hinc tua dulcifluo manans elegia lepore,

A Sulmonensi nec procul ipsa Chely est.

Maeste nova juvenis vena, senioque verendus,

Quanta canes, phœbi tangere doctus ebur.

Item Hegius in Epigrammate ad Buschium,

Buschia clara Domus fuit olim Clamoris armis,

Nunc Hermanne tua est Inclyta facta Chely,

Phœbus enim fide conspicuus, dulcesque Camœnæ

Tempora cinxerunt fronde virente tua, &c.

Erasmus in Ciceroniano.

17.

Dedit & Westphalia Hermannum Buschium in carmine pangendo felicem, cui in oratione soluta magna vis ingenii, lectio varia, iudicium acre, nervorum satis, sed compositio Quintiliano prior quam Ciceroni, &c. Idem Erasmus Buschium in Epistolis doctissimum appellat, & Philippus in libro contra Colonienfes dicit sibi singularem amicitiam & familiaritatem cum Buschio fuisse: Ita & cum illo coluit habuitque amicitiam Joannes Reuchlin, ut Epistolæ clarorum virorum ad eundem scriptæ indicant: Item cum Abbate Tritemio fuit illi bona gratia, quod etiam Tritemii indicant Epistolæ: & ante eos cum Heugio.

Murmellius elegia 1. libri 3. elegiarum Moralium sic de eo canit:

18.

Buschius Aonio satiatus pectora fonte,
Versibus est patriæ gloria magna suæ, &c.

Quantum etiam detulerit Murmellius Buschio, patet ex Epistola Murmellii ad Buschium, quæ præfixa est Scholiis suis in Persium, & ex relatione ipsius Buschii in præfatione Epicædii vel funebris carminis de Murmellii obitu. Item in libro 2. Didascaliorum citat Buschii Epigramma, & ipsum decus vocat Germaniæ nostræ anno 7. Eobanus, 19. Franakenbergius Hessius, anno 6. sic inter alia de Buschio cecinit, ut ejus versus Buschii libris quibusdam anno 7. excusis adjecti, indicant:

Gloria Germanos inter præclara poetæ,
Et meritò patriæ fama decusque tuæ.

Extant multa Euricii Cordi Epigrammata ad Buschium, & in libro 9. 20. Epigrammatum sic habetur de illo scriptum ab Euritio:

Franciscana tuos in commentaria versus
Legi, Venalis, frondea ferta, meri:
Maximus es (certum est) quem fert Germania vates,
Quem colit Aonius concelebratque chorus.

Scripserat enim Buschius Epigramma in librum Francisci Lamberti de regula Francisci.

Joh. Gastius, qui vertit commentaria Brentii in Ecclesiasten, Solomonis, sic in præfatione suæ versionis ad Landgraviū scribit anno 27. Habet ecce C. T. Hermannum Buschium, qui vir unus ob raram atque omnijugam suam eruditionem & pietatem, tum etiam ætatis venerabile donum, ut non tam terræ tuæ quàm etiam totius Germaniæ singulare aliquod decus, imò alter quispiam ævi nostri Aristarchus, jure optimo haberi queat, &c.

22. *Hermannus, Comes Nuernarius* doctissimus, in edita Epistola plurimum commendat Buschium eumque dexterrimi ingenii virum appellat, &c.

23. *Joannes Aesticampianus* Poëta Laureatus, & suo tempore clarus inter alia anno 5. sic scribit de Buschio:

Inter Germanos foelix Germane poëtas
Concinnas nitidis carmina culta modis &c.

24. Item eodem tempore *Theodoricus Ulfenius*, Doctor Medicus, (quem miris modis in sua Sylva carminum celebrat Bartholomæus Colonien-
sis à varia eruditione & scientia, & singularis eruditionis & peritiæ in carmine & oratione vocat Trithemius in suo catalogo) sic de eodem canit:

Buschius interpret vatum, vatesque disertus,
Buschius est priscis nobilis ex atavis,
Buschius Antiquis non cedit jure poëtis,
Buschius agnovit carminis omne genus.

Et post alia.

Buschius est phoenix unica Teutonibus, &c.

Quomodo item publico encomio ornaverit in publicis Epistolis ad Josephum Horlenium datis JOANNEM MURMELLIUM & *Herman-*

25. *num Buschium, Joannes Gymnicus*, Typographus, viderunt multi in libro Tabularum Murmellii de Grammatica, & in eo Buschii libro, qui Decimationum Plautinarum Pemptades continet, ubi hunc præceptorem suum vel solum & doctissimum vocare, istum autem virum unde quaque doctissimum & diligentissimum non veretur. Taceo nunc varia Epigrammata Peringii, Horlenii, Tunicii, quæ passim Murmellii & Buschii libris affixa sunt, in quibus illi affatim celebrantur à multa eruditione. Sic quoque ad MURMELLIUM scribit *Buschius* in ea Epistola, quæ continet explicationem primæ Satyræ Persii: Pœnitet profecto temeritatis, quod novo hoc modo in scenam coram te Roscio literario prodire non extimuerim.

Idem *Buschius* de *Murmelli* versibus sic scripsit:

Carmina Murmelli priscis æquanda poëtis.

Et fuisse *Murmellium* doctissimum virum, grammaticum absolutissimum, ingenio & lectione, ut qui omnia lætitasset, præstantissimum, in quem omnes, qui tunc in Westphalia, & postea in inferiori Gram-

Germania erant, oculos convertebant, nemo unquam doctorum negabit. *Langius, Heringius, Buschius, Joannes & Servatius Adicolii, Bartholomaeus Coloniensis, Casarius, Alardus Amstelrodamus, Jacobus Montanus, Timannus, Joannes Aelius Senior, Petrus Aquensis, Antonius Tunicius, Peringius Bavincus, Joannes Moderfonius, Henricus Morlagius, Joannes Venroth, Joannes Volsus*, omnes viri docti, & alii ipsum observanter propter eximiam coluerunt eruditionem, quibus annumerari potest *Petrus Nehemius Drolshagius*, qui in dedicatione suorum Scholiorum in carmina aliquot *Langii*, sic alloquitur Murmellium anno 5. Vidi tua & legi opuscula de verborum compositione inscripta quam utilissima, quæ nuper in lucem edideras, & plura alia, tum oratione, tum carmine contexta. Quamobrem non possum tibi non gratulari, te tantum apicem ascendisse, & utroque genere scripsisse, quod numini adhuc Græcorum, Cicerone autore primo Officiorum, contigisse videmus: Opinor equidem te ut joco absim, non labra tantum proluisse in Helicone & fonte caballino sed totum caput corpusque, quandoquidem qui tantis curis, negotiis & occupationibus quotidie conficeris, adhuc lectu dignissima in medium adfers posterisque communicas, &c.

Jacobus Montanus Spirensis de libris 4. elegiarum Moralium in carmine sic ait: Vi magnos latiaque fruge dites, &c.

Et quomodo *Buschius* in carmine de obitu *Murmellii*, ipsius dona celebraverit, multis notum est.

Glandorpheus etiam in suo elencho, vel edita epistola desuscepta gubernatione Scholæ *Hervordiensis*, sic scribit: Quid celebratius *Joanne Murmellio*, *Hermanno Buschio*, *Bartholomæo Coloniensi*? &c.

Coluerunt & magni fecerunt hunc etiam virum *Joannes Pollius, Stuvius, Meppensis, Tulichius, Horlenius, Joannes Hagemannus, Homerus Buterannus, Glandorpheus, Burenus, Olphenius uterque*, nempe *Henricus Vruchterus & Henricus Sibans, Henricus Primaus*, Item *Joannes Aelius junior, Arnoldus Venlo, Joan. Mursaus*, Doctor *Vitus Vinzemijs senior*, omnes scriptis clari, & præcipui quidam ex his ipsius auditores fuerunt, & quotquot sunt Grammatici, ipsum etiamnum hodie maximi faciunt. Estque dignatus aliquando *Hessus ille Eobanus in tabulas de componendis versibus Murmellii*, conscribere scholia: imò tanti fecit *Murmellium Hermannus Tulichius*, vir in duabus universitatibus ex prælectionibus clarus, ut ex omnibus aliis Grammaticis, hujus unius Tabulas mira brevitate

vitae & perspicuitate conscriptas de re Grammatica suae tantum juventuti praelegi voluerit : Nec piguit etiam *Petrum Godofridum Reameum* ista Tabularum opuscula Murmelliana in Epitomen redigere, quae est Lugduni excusa.

30. *Joannes Suavenius*, Vicedominus Caminensis in Pomerania & Doctor, quem certum est ante paucos annos superfuisse, sic ad *Murmellium* in Epistola anno 14. scripta, quae Scopario ejus inserta legitur, scribit: Equidem sic existimo, neque Pythagoram illum Santium majus lumen potuisse adferre Siciliae, quam tu Germaniae nostrae attuleris: Neque Socratem illum, qui prius Ethicem de Coelo traxisse dicitur perfectiorem egisse virum, quam tu sustineas, neque divinum Platonem ex sua Academia eruditiores misisse quam tu è tuo ludo miseris: neque ex lyceo Aristotelis acutiores prodiisse quam ex tua Diatriba procefferunt: neque Isocratem elegantius docuisse, quam tu doceas: neque ad Theophrasti officinam frequentiore concursum fuisse, quam haecenus ad tuum ludum fuerit. Quid multis? Tu nobis Aristarchus, tu Carneades, tu Demosthenes, tu Archimenes futurus es: felicior Marco Tullio, qui ab Athenis (quod Appolinus Molo dixit) eloquentiam, Romam transtulisse fertur: Tu vero Rhetoricam, in patria pene & didicisti & curiosissime doces, &c. Postea in fine hoc adjicit, Mitto ad te meum ex fratre nepotem adolescentem non spernendae indolis, &c. Hunc puto Petrum fuisse Suavenium, qui Graecas literas postea Lipsiae sub Mosellano & Philosophiam Witenbergae à Philippo, veram autem doctrinam à Luthero didicit, quem etiam miris laudibus evehit Eberus in praefatione, quam praemisit primo tomo scriptorum publice propositorum Witenbergae. Nam is tunc juxta supputationem Eberi adolescens ferme annorum 18. fuisset, &c. Sed quisquis tandem fuerit, non magni refert studiose de hoc inquirere, satis est nobis, quod in tam longinquis regionibus, non ab infimae sortis hominibus, sed à maximis doctoribus & Episcopis tantifactus fuerit Murmellius ejusque scripta: Nam hujus Joannis frater per id tempus fuit Bernini Principis Pomeranici Cancellarius nomine Bartholomaeus & postea Caminensis Episcopus, &c. Et ex ista quoque fama factum est, ut, cum *Joannes Bugenhagenus* ageret Treptae in Pomerania ludimagistrum, saepius scriberet carmine & prosa ad Murmellium: & memini, nisi mea omnino memoria fallatur, utriusque versus & Epistolas, quibus alter alterum salutavit uni-

unico libro editas me vidiſſe, & in hac mea ſententia quidam Literati ſenes confirmant me, idem aſſerentes.

Sed utile quoque fuerit *Alardi Amſtelrodami* teſtimonium referre de Murmellio ex carmine parænetico, quod ſcripſit ad ſtudioſam Juventutem Alcmarianam anno 14. cum ibi gubernationem Scholæ ſuſciperet (Alcmariæ) Joannes Murmellius. 31.

Magiſtrum habes multò optimum	Ambit neceſſitudinem :
Ac undecunque impendio	Tam multa tamque inſignia
Doctum, imò quem omnes prædicant	In hoc tueri, uno viro eſt
Politioris præſtitem	Quam mille, vix aliis queas :
Et dictionis & chelis,	O ſcripta jucundiffima,
Referens Palemonem alterum, & Plautum, & Maronem & Tullium :	Conſcripta tam ſuaviter,
O pectus, o memorabilem	Arguta, plena aculeis,
Hujus modeſtiam viri,	Decore, ſuavitudine,
Quo nemo, quo mortalium	Dicacitate, gratia :
Candidior aut frugalior.	O carminum dulces modos,
Quem nemo non (vel lividus)	Quos ore lepidus melleo
Effert, ſtupetque, ac illius	Fundit, lyraque concitat,
	Ut non Thalia blandius
	Non ipſe Apollo doctius, &c.

ſcripſit *Gerhardus Noviomagus* de viris illuſtribus inferioris Germaniæ, ubi etiam ampliffimum dat Murmellio teſtimonium quod Pappæ à Joanne Gymnico in 8. recuſæ adjectum reperitur, ubi hoc ſtudioſi legere poterunt, inter alia ſic ait: Vir absque controverſia perſpicaci ingenio, fideli memoria, multimoda lectione, ſcriptione clarus, Græcarum & latinarum literarum profeſſorem doctiffimum Alexandrum illum Hegium audivit, &c. item Bonas literas quas callebat exactiffime multis in locis optima fide docuit, &c. 32.

Bernhardus Lingius præfatus eſt in composita verborum Murmellii, quæ etiam curavit recudi Monasterii anno 62. ubi ſic ſcribit de Murmellio: Hæc duo opuscula Joannis Murmellii viri inſigniter eruditi, quorum alterum eſt de verborum compositis alterum de verbis communibus & deponentibus omnium doctiffimorum cenſura virorum valde utilia ſunt & neceſſaria ſtudioſis adoleſcentibus ad emendate & ad recte loquendum, &c. Et poſtea, In hiſce explicandis & enodandis egregiam fanè operam præſtitit Murmellius exemplis prudenter & cum

cum delectu ex probatissimis autoribus in medium adductis, quibus usus & genuina significatio singulorum verborum commodius ostenderetur ac perciperetur, unde non indignus hic autor, quem omnes literarum candidati summis laudibus efferant, celebrent, ac deprædicent, &c.

34. Sed nunc tempus est de RODOLPHO AGRICOLA aliquid subjungere, cum certum sit ipsum in vicinia Westphaliæ natum esse, & cum Westphaliæ Hegio & Langio plurimum familiaritatis habuisse, &c.

Erasmus Roterodamus in Chiliadibus centuria 4. in proverbio, Quid cani cum Balneo?

Nihil unquam hoc (Rodolpho) Cisalpinus orbis produxit omnibus literariis dotibus absolutius, &c. Item, inter Græcos græcissimus, inter Latinos latinissimus, in carmine Maronem alterum dixisset, in oratione Politianum quendam lepore referebat, &c. Videant plura de Rodolpho ibidem apud Erasmum studiosi.

35. *Joannes Trisemius* in suo Catalogo de viris Illustribus:

Rodolphus Agricola vir in secularibus literis eruditissimus & divinarum scripturarum non ignarus, Philosophus, Rhetor & Poëta omnium sui temporis celeberrimus, Græci & Latini sermonis peritus & Hebraicæ linguæ non ignarus, ingenio excellens, sermone disertus, &c. Et mox. In Gymnasio Heydelbergenfi docendo & scribendo principatum facile obtinuit inter omnes etiam cujuscunque facultatis Doctores; elegantissima carmina edidit, quibus ingenium suum prope Divinum ostendit. Moritur sub Frederico anno 1485, de quo sic *Hermolaus Barbarus* in epitaphio illius:

Scilicet hoc uno meruit Germania, quicquid

Laudis habet Latium, Græcia quicquid habet.

36. *Philippus Melancthon* in Epistola ad Alardum Amstelrodamum & in oratione de Rodolpho Agricola consulatur, ubi quantis laudibus extollat Rodolphum, & quam prolixè ejus excellentia dona recenset, huc propter verborum copiam ascribi non potest, ideo velim lectorem ipsos Domini Philippi locos inspicere. Inter alia hæc habet: Cum Rodolphus in Germania emendaverit genus sermonis, & dialecticam ac meliorem discendi rationem monstraverit, consentaneum est plerisque ejus dictis ac disputationibus utiliter commonefieri studiosos. Item Ferrariæ soluta oratione certabat cum Guarino, cum

Stro-

Strozis poetis versu, de Philosophia cum Theodoro Gaza differebat & caeteris summis viris, audiebat omnium artium professores, cumque pariter excoleret ingenium doctrinae varietate, & in eloquentia elaboraret, totius in se Italiae ora oculosque convertit. Magna cum laude disputavit, enarravit autores utriusque linguae in illa ipsa Academia, habuit orationes magna cum approbatione eruditorum. Porro magna laus fuit homini Germano non solum eruditione & genere sermonis, sed etiam vetustate actionis satisfacere Italiae, morose ac fastidiose judicanti. Nec opinor ulli Germanorum praeter hunc Italos tribuisse tantum, ut publice docentem cum admiratione audirent, ac pariter eruditionem, genus sermonis & actionem probarent. Audivi saepe Erasmum rogatum esse in Italia, ut specimen suae eruditionis ac facundiae publica praedicatione praeberet, sed ut in hac re amicis morem gereret, adduci nunquam potuit, metuens, ne ab Italis pronuntiatio hominis Germani derideretur, ac saepe praedicavit Rodolphi naturam, quam Italicam imitari vetustatem sine ineptiis potuisse referebat. Et in fine: Cogitetis quantum fuerit ornamentum, quam bene de literis meritis sit? Primus enim in Germania emendare genus sermonis coepit & accendit Latinae ac Graecae linguae studia; Quare ei plurimum debemus, &c.

Nunc quoque de CONRADO GOCLENIO Westphalo aliquid 37. producendum erit, sic de illo scribit *Erasmus* in Proverbio, Te ipsam laudas: Conradus Goclenius (ait) linguae Latinae publicus professor in Academia Lovaniensi, juvenis utriusque linguae ad unguem doctus, & in utroque scribendi genere mirificus artifex, sive prosam orationem malis, sive carmen, olim inter primos eruditionis proceres praecipuas habiturus, &c. Idem satis luculentum de illo ipso Goclenio testimonium in suo Ciceroniano per scriptum reliquit: Goclenius, inquit, apud Brabantos jam pridem ornat non modo Collegium Busleidianum, quod quidem trilingue vocant, sed totam etiam illam Academiam licet alioqui florentissimam. Item: Opinor illud ingenium posse, quicquid serio voluerit, verum mavult esse obesus quam Polygraphus, &c. Quanti eum fecerit Erasmus ex Epistola ad Morum constat, quae extat in libro Epistolarum 17. ubi inter alia sic de Goclenio ait: Westphalus populus ut vulgo rudior habetur, ita multos nobis dedit summis ingeniis minimeque vulgari doctrina praeditos. Non aliud genus mortaliuna patientius laboris: fide, morumque synceritate, simplici prudentia

ria & prudenti simplicitate potissimum commendatur. Scis nuper institutum Lovanii trilingue Collegium, in eo publicè Conradus Goclenius gente Westphalus latinæ literas maxima cum laude, summo totius Academiæ fructu profitetur, ea morum integritate comitateque, ut literas, quas docet etiam apud illos reddat gratiosas, qui prius aversabantur. Ingenium argutum, quod foeliciter sui specimen præbuit, etiam in his disciplinis quas solemniter tradunt in Scholis publicis. Sales habet, sed prorsus atticos, ac lepidis fabellis vel tecum certare queat. In carmine peculiarem quandam habet gratiam, nusquam non dilucidus, nusquam non dulcis & amœnus. Nec est ullum argumentum tam inamabile, quod illo tractante non mitescat. In prosa oratione sic est sui similis, imò sic est sui dissimilis, ut illius soluta legens, putes prorsus alienam esse à carmine. Et postea: Quod si nostri Principes prophani pariter ac Ecclesiastici didicissent egregiis ingeniis habere suum honorem, quemadmodum apud Italos habetur, Goclenius noster totus esset aureus. Nec hic silentio præterire possum *Alardi Amstelrodami*, in epistola ad Sibrandum Pompejum Occonem præclarum de hoc Goclenio iudicium, cum eum utriusque linguæ faciliè principem esse testificatur.

39. Restat etiam de TIMANNO CAMENERO testimonium, et Petri Aquensis iudicium de laudabili Timanni instituto audierimus. Josephus Horlenius in suo libro Epigrammatum ita ad Timannum scribit:

Westphalia in lætos tua primum Epirhedia fines
 Vexerunt artes doctæ Timanne bonas.
 Nullus enim Musis fuerat locus, omine fausto,
 Per te præsentis ast habuere manus.
 Barbarica Geticaque loqui Sartagine præter
 Tyrones aliud nil didicere prius.
 Sed tua dente minax pepulit bene fuscina tetram
 Barbariem, & Musas contulit ingenuas.
 Doctus es egregiè nodosos solvere elenchos,
 Et quodcunque potest ritè sophisma dari.
 Tu Physicæ calles, moralia tuque docendo
 Nichomagi gnato non minor esse potes.
 Noctibus assiduis divina volumina lustras,
 Perlegis & quicquid lectio sacra tenet, &c.

Supereſt adhuc unum de JACOBO MONTANO, *Spirensis*, qui 40. & conſenuit, mortuusque eſt in *Westphalia*, proferendum.

Joannes Prael, Typographus Colonienſis, in præfatione, quàm Callepini Lexico vel dictionario præfixit anno 1534. ſic refert: Jacobus Montanus vir de literis latinis non malè meritus, quæcunque loca Callepinus à ſe non ſatis animadverſa vel excuſa perperam citaverat, in ordinem redegit, voces barbaras & fictas, quæ non raro occurrebant notavit, Germanam lectionem aſſeruit orthographiam paſſim, quæ plus mille & ſexcentis locis fuit depravata emendavit, &c.

Sed hæc hæcenus recenſui de *Westphalis*, & iis qui vel ratione vicinitatis, hoſpitiive vel familiaritatis, *Westphaliae* addicti fuere ſive alumni ejus dici poſſunt. Audivimus itaq; quomodo Erasmus elementa utriusque linguæ ab Hegio *Westphalo* didicerit, & quod multorum teſtimonio is vir fuerit valde eruditus & habuerit cum Rodolpho Agricola familiaritatem, & quomodo ab utroque & Rodolpho & Hegio taxata ſit Barbaries, & literæ humanitatis cœperint ſub iſtis melius habere. Retulimus etiam quomodo utrique charus fuerit Langius celebris poëta, qui & Melpomenem & uſum ſyncerioris linguæ aliquantum in *Westphalia* inſeruit cum ſuo Buſchio, quem is videtur educâſſe & inſtruxiſſe, ut & Murmellium docuit multa, reliquosque alios, velut etiam ſummus à multis per id tempus in Germania poëta habitus eſt. Quare hoc magis miror, quod & in Chronico Carionis & in oratione, quæ continet Encomium Franciæ, & extat in tomo primo Declamationum Philippi, & in Calendario Eberi, atque in Ephemeride hiſtorica Beutheri, legatur, *Conradum Celten Primum Germania Poëtam exitiſſe*: Et quanquam Beutherus & oratio de Encomio Franciæ, habeant hoc ſaltem, Conradum Celten primum poëticam in Germania excitâſſe vel poëticæ ſtudium reſuſcitâſſe, tamen vix quidem vel hæc verba in iſtis ferenda eſſent, cum non adjecerint, in ſuperiori Germania. Et ne quidem id facile probaverint, ſi omnia rigidius examinentur: Sed id vel imprimis dici debere de *Westphalia*, in qua floruit etiam tum ars poëtica, cum inclareſceret Celtes, omninò non eſt ferendum. An non concedunt omnes ſani, ante Celtem floruiſſe Hegium & Rodolphum Agricolam, & de hoc ait Erasmus, quod Maronem in carmine retulerit; Tritemius verò ipſum vocat poëtam ſui temporis celeberrimum, & elegantiffima ſcripſiſſe carmina affirmat. Si item is primus emendavit ſtudia literarum, quid ni & poëtiæ? carmina ejus

extant: Alter vero, nimirum Hegius, etsi carmine non satis esset foelix scripsit tamen pro ratione istius temporis eruditum carmen: Sunt etenim & illius carmina adhuc in multorum Bibliothecis, & quantum huic Buschius tribuerit supra relatum est. Et nemo negare poterit ante Celtem & scripsisse Rodolphum Langium, poëtam celebrem, qui Melpomenem primum in Westphalia rura duxit teste Hegio, & cum Rodolpho Agricola, cui coëtaneus erat, summam familiaritatem habuit, &c.

Tritemius scribit in suo opere de viris illustribus, Langium admodum senem adhuc superesse & vivere sub Maximiliano Cæsare: Celten vero ibidem scribit eo tempore 35. annorum ætatis suæ fuisse: Et hoc scripsit Tritemius de Langio & Celte anno 1494. Uter igitur altero prior? Scribit Eberus & Charion, Celten florentibus annis occubuisse, nempe ætatis suæ 49. anno Christi 1508. Sed jam ante mortem istius Celtis anno post sesquimillesimum septimo, decimo calendis Maji ediderat Murmellius elegias Morales, in quibus sic elegia prima libri 4. alloquitur Langium:

Nostra nec odisti rivo de paupere fusa
Carmina, Pierii gloria summa chori.
Emeritus senio summa cum laude poëta,
Castalidum templo pleetra lyramque refers.
Qua novus ingrediar, sed te duce femita constat
Adjuga percelli fers Heliconis opem, &c.

En dicit Langium Emeritum senio virum & poëtam esse. Charion scribit, anno 1502. circa id tempus cum conderetur Schola Wittebergensis, floruisse Conradum Celten, cum longè antè floruerit Langius. Nam obsidionem Novesii oppidi, quæ facta est à Burgundo Carolo, teste eodem Charione anno 1474. ut Langius præsens aspexit & vidit, ita etiam lepidissimo carmine descripsit, quod nunc per totam Germaniam viris doctis placuit, & non est improbatum à Rodolpho Agricola: interim tunc adhuc temporis erat Celtes adoleseens, ut ex aliorum præsertim Eberi supputatione apparet, annorum suæ ætatis quindecim. Uter igitur prior extiterit, videant docti, & illi etiam ipsi, qui hoc de Celte temere scripserunt. Imo ipse Murmellius numerat in libello de hymnis, Langium inter hymnographos qui ex latinis præcipui sunt, & vocat ipsum principem poëtarum, & Germaniæ gloriam, ut ante relatum est. Id vir tantus & tam exacti judicii nequaquam fecisset.

ciffet, si quendam Celtem Langio & in poësi clariorem & in carmine foeliciorum & superiorem suo isto tempore noviffet: Nam cum recenset libro 3. elegiarum moralium, elegia vel epistola prima omnes praclariores poëtas, post veteres Mantuanum, tandem & Rodolphum Agricola, deinde Politianum, quarto Rodolphum Langium numerat, quinto Buschium, &c. & ne Celtis quidem meminit. Hujus si quicquam vidiffet dignum poëta, ut erat helluo librorum, equidem ipsius meminiffet. De Agricola sic canit:

Tempeffas numeros abolebit nulla Rodolphi,
Agricolæ faustum secla futura canent.

De Langio autem post Politiani laudes recitatas sic pergit:

Te quoque summa manent laudum praconia Langi,
Non ætas nomen nesciet ulla tuum.
Æquiparas Flaccum lyrici modulamine cantus.

Porro quid quoque multi, ut supra recitavimus, Buschio tribuerint auditum est, & hoc quidem non opinor frustra factum esse. Potest igitur fieri quod Westphalus Langius istis, qui hoc de Celte scripserunt, ignotus fuerit, & illi, cum non vidiffent Langii poëmata, tam subito, in evehendo Celte, fortè propter patriam erraverint. Sed hic error istis donandus erit. Stat interim firmum & studia literarum & simul poëtices, omnium primo à duobus Westphalis & uno, qui est in vicinia Westphaliæ natus & cum istis duobus familiaritatem habuit, exfufcitata esse. Nam quod tunc Rodolphus Agricola praestitit Heydelbergæ in superiori Germania, id foeliciter egit in inferiori Germania Daventrîæ Hegius Westphalus, & in Westphalia Langius.

Sed cum de istorum laudibus & quorundam aliorum diligentia qui cœperunt simul Barbariem expellere audierimus praclara doctiffimorum hominum testimonia, incumbet etiam nobis igitur necessitas ista probare & re ipsa ostendere, quid praestiterint. Dabimus igitur operam, ut hoc apertè demonstremus, quod ex aliorum testimonio de ipsis retulimus.

Scribit *Hegius*, *Langium* primo Musas in media Westphalorum 42. barbarie vocasse in has terras: Et hoc verum est. Nam quod Petrus Vincentius post Rodolphum & Hegium, Buschio tribuit, id ante Buschium Langius & deinde cum Langio, teste Hegio & ipso Murrnellio, Bu-

Buschius fecit. Nam memini quendam senem profecto jam ferme nonagenarium mihi ante annos plus quam duodecim referre, quomodo ante annos 80. Coloniaenses literati & deinde plerique alii Philosophastri in Westphalia reprehenderint Langium, tunc alios, quam moris erat, facientem versus, hoc est vulgare illud & Rithmaticum genus, quod ex doctrinali Alexandri didicerant, spernentem, & more priorum seculorum ad imitationem optimorum poetarum versus facientem, (Confirmationem hujus rei pete ex præfatione.) Verum cum ille doctissimos quosque in Italia, unde tum reversus erat, autores & principes habuisset, & esset propter eruditionem, eloquentiam tersam, qua plurimum valuit, ac nobilitatem accedentibus etiam dignitatibus, in magna apud multos autoritate, nec prælegeret in Scholis, nihil effecerunt, interim is produxit Buschium, qui hoc postea probe perfecit quod Langius incepit, ut suo tempore dicemus.

43. Quod vero inceperit *Rodolphus Agricola in superiori Germania*, testantur ejus Discipuli *Dalburgius Episcopus, Pallas, Reuchlinus, Wimphelingus, Bebelius & alii*, qui cum gustum politioris literaturæ percipissent, transfuderunt eundem in suos discipulos, *Jacobum Henrichmannum discipulum Bebelii, Simlerum discipulum Reuchlini, Sapidum Lucinumque discipulos Wimphelingi*. Et hæc mihi paululum sistere gradum libet. Quis est obsecro, qui magis ex istis antiquioribus, patrum nostrorum seculo infectatus sit publicis scriptis Alexandri
44. doctrinale, quam WIMPHELINGUS? cujus etiam eruditas sententias in hunc modum prolixè contra Alexandrum collegit *Murmellus in Scopario*: Sed unde hoc habuit *Wimphelingus*? à suis dices præceptoribus, rectè, sed in patria habuit *Lodovicum Dringenbergium Westphalum*, teste *Erasmio* in libro 23. Epistolarum, Epistola ad *Joannem Vlattenum*, deinde sine dubio audivit *Heydelbergæ* postea *Rodolphum*. Suxit igitur illud principium de vitandis barbaris sine dubio quasi cum lacte matris in patria à pueritia ab isto *Westphalo*, qui eodem tempore, quo *Hegius* vixit, absque dubio & simili modo suos instituit, &c. *Jacobus* autem *Spiegel*, Doctor & Cancellarius *Maximiliani* in quadam edita Epistola vocat *Wimphelingum* & ejus discipulos *Beatum Rhenanum & Joannem Sapidum* barbariæi victores inclytos anno 20. &c. Deinde est res literaria post *Wimphelingum* pedetentim illustrata per istius & aliorum discipulos, ut diximus, in superiori Germania ante annum post sesquimillesimum duodecimum, quibus tunc suis

fuis doctissimis & perspicuis terribissimisque scriptis in subsidium venit *Erasmus Roterodamus*, discipulus *Hegii* quoque Westphali, qui saepe barbaras voces Erasmo & reliquis auditoribus indicaverat, eosque ad optimos Grammaticos & autores legendos hortatus erat, & Vocabularium Gemmae, aliaque reprehenderat: tamen nec ille adhuc quicquam effecit, nec *Rodolphus Agricola* hoc quod voluit praestare potuit, ut annotat *Petrus Aquensis*, cujus sententiam, de utriusque opera in excludendo barbarismo à Scholis, audivimus supra: Nam isti potentia adversariorum nimium impediabantur: Attamen quid contra istos tentaverit, etsi parum profecerit, *Rodolphus Agricola*, indicat epistola ad *Barbirianum* scripta, & saepe in lectionibus declaravit ipse: extat quoque Epistola una atque altera *Rodolphi* in libro primo earum, quae à claris viris ad *Reuchlinum* datae sunt, ubi ait se Germaniae gratulari, quam si nunquam, nunc aliquando (ait) expergefieri oportebit, & ab hac barbarie, qua tot jam seculis veluti stupido sopore vel potius *Μ-Σάχη* oppressa tenetur, excitari, &c. Et non est dubium, quin *Sapius Hegius* & ille contulerint, tum praesentes tum per literas absentes, de barbaris libris, vocabulis aut impuritatibus linguae Latinae extirpandis. Sed cum propter ferociam adversariorum, modum invenire non possent, hoc quasi in medio relinquentes, discipulis transigendum, quibus hoc *Sapius* inculcarunt, quod ipsi efficere non poterant, commiserunt. Hinc sunt illa *Rodolphi Agricolae* verba ad *Hegium* in Epistola quadam: Nosti stomachum meum, ut nequeam sectari barbariem, impuritatem, horrorem eorum, qui nunc omnia occuparunt; Nosti contra quoque stomachum istorum, ut clament, & insaniant, & contumeliae ducant loco, si quis audeat scita illorum convellere, & conari docere: pueros se supervacanea & depravata, quaeque senibus sibi rursus dediscenda sunt didicisse, &c.

Imo alius quidam *Phrisius* similiter ita Westphaliae addictus multis annis post *Rodolphum*, *Andreas Canter* nomine, nempe eo tempore cum esset Monasterii *Murmellius*, (cui familiaris fuit & sine dubio etiam *Buschio*) haud segniter laboravit Coloniae (ut opinor) in extirpanda barbarie, de quo sic canit *Murmellius* in Epigrammatis:

Influit in Rhenum Tyberis, doctissime Canter,

Auspicio, ut perhibet publica fama, tuo

Te duce Romuleo Germani more loquuntur,

Et jam Barbaricos dedidicere sonos.

P

Histo-

Historiam enarras, legis, & facis ipse poëtas

Illustres, Phrysi gloria magna soli, &c.

Nectamen ille quicquam efficere potuit suo adhuc tempore. HE-

47. GIUS interim, quod etiam RODOLPHUS fecit suis scriptis, non cessavit monere suos, ut ejus farrago à discipulis suis & collecta & edita indicat. Nam in ea legitur, quomodo Barbara vocabula indicaverit, & solœcismis tum germanismis ac ineptis dicendi modis abjectis, meliorem loquendi formulam præscripserit: in qua etiam farragine communem sæpe glossatorum & commentatorum formam & ineptas dictiones vocabulorum explicatorum reprehendit, multaque melius substituit atque aliter explicavit, quàm tum in Scholis fiebat: Scripsit contra eosdem Grammaticulos & contra modos significandi, ineditam farragini adjunctam, ubi inquit: Adeo exigua latinitatis cura est, ut etiam tituli librorum corrumpantur, &c. deinde reprehendit Hegius ibidem plurima inepta & non latina dicta, ut sunt, magistrari, presbyterari similiaque, quæ (ut ait) ex libello, cui titulus est *Disciplina Scholarium*, discuntur, ubi etiam præmissus est barbarismus ipsi operi in titulo, &c. Postea admodum stomachatur in *Vocabularium Gemma Gemmarum*, censetque abjecto isto libro (*Gemma Gemmarum*) remittendos potius esse pueros ad *Varronem*, *Nonium Marcellum*, *Tortellium* & alios puriores & vetustiores Grammaticos. Porro talia (qualia sunt *Gemma*, *Disciplina Scholarium*, & sine dubio *Alanus & Alexander*) esse indigna opuscula, ait, quæ emantur & legantur, &c.
48. Habemus itaque quomodo incepit *Hegius*. Quod igitur is incepit in *Grammatica*, idem quoque intentatum non reliquit in reliquis artibus, quæ tunc quoque summa caligine quasi extinctæ jacebant. Nam quid in artibus valuerit & præsertim in *Demonstratione*, & quomodo pro ratione istius temporis (quia postea Rodolphi libri prodibant, quos etiam ille nunquam vidit) illustraverit istam artem, constat ex *Dialogo ejus Physico*, & *questionibus ejus de arte*, atque *Dialogis*, in quibus *Rhetoricam*, *Dialecticam* & *Grammaticam* earumque utilitates explicat, & in primis ex *Dialogo de Rhetorica*, &c. Quantus fuerit Philosophus ostendunt *dialogi de Physica*, de *sensu & sensibili*, ubi multa adhuc isto tempore abstrusa & incognita, de anima & sensu sensibilibus ex ipsis fontibus & græca lingua explicuit: Et ipsum in *Morali Philosophia* plurimum potuisse eo seculo restatur *dialogus Physicus* & *qui de moribus insertitur*: ubi etiam quædam in *Politicis* non infeliciter exponit.

Ince-

Incepit autem ille : Jam videamus, qui perficere id tentaverint. Habemus igitur gratias Hegio Westphalo summas, non nos tantum, sed & Germaniae optimi quique viri.

Nam ut taceam adhuc de Erasmo, HERMANNUS TORRENTINUS, Hegii discipulus, statim post Hegium coepit doctrinale Alexandri corrigere, emendareque, tum quoque vitiosos & obscuros barbarosque versus tollere, & meliores magisque perspicuos in eorum locum substituere, atque meliorem, quam antea, vocabulorum interpretationem adjicere, de quo suo facto sic in praefatione ait Torrentinus: Quoniam omnium literatorum judicio quidam versus Alexandrini vel nimis obscuri, vel penitus falsi sunt, vel certè redundantes atque supervacanei, rogati igitur à nonnullis doctis viris, adhortati-que plerosque talium versuum vel sustulimus vel emendavimus, quod alii (hic sine dubio Hegium denotat) quoque ante nos facere conati sunt. Sed nos parcius id egimus & cautius, & ibi duntaxat ubi operæ pretium & maximè necessarium videbatur. Timuimus enim ne hæc nostra innovatio multorum reprehensionem incurreret, &c. Et quod istis verbis, (quod quoque ante nos alii facere conati sunt,) Hegium denotet, movent me Murelliani versus de Torrentino scripti, ubi ait:

Dux etenim nobis (nempe Torrentino & mihi vult dicere)
Doctissimus Hegius ille
Præceptorque fuit, quem comitasse juvat,
Barbaries linguæ nostro procul exulet orbe,
Grammaticæ nostris floreat auspiciis, &c.

Sed interim quod Hegium deterruit ab isto facto, & quod Torrentinus timuit, hoc illi evenit. Nam ita lacerarunt operam ejus, ut ad fratrem Joannem Torrentinum Monachum regularem coactus sit scribere Apologiam, qua refutat istorum argumenta, nempe quod tot seculis approbatus fuisset in Scholis Grammaticus Alexander & à nemine antea correctus, sic autem inquit: Quis vel mediocriter literatus ignorat, quot mendosi, quot obscuro & inutiles versus fuerint in Alexandro? Quod & Sulpitius Verulanus & Aldus Manutius Romanus alique viri doctissimi perhibent, quorum opera effectum est, ut Alexandri doctrinale, quod vocant, Italiae scholis explosum sit. Quod ipsum quoniam nostris in regionibus factu difficile ac penè impossibile

videtur, doctorum hominum hortatu invidiosam hanc & sanè laboriosam suscepi provinciam, ut hujus primæ partis mendosa quæque corrigerem, opaca illustrarem, & redundantia amputarem, præceptoribus simul & auditoribus consulens. Ipsi namque olim pueri non sine malo nostro experti sumus, quantus labor sit Alexandrum ediscere, &c. Quod cum probasset exemplis ex Alexandro desumptis, & recensisset priorum seculorum inscitiam, nempe quod nemo ex istis omnibus qui tunc vixerant, ut *Eberhardus*, *Cornutus* & qui modos significandi fecerat (eo enim titulo libellus tunc in Scholis quidem celebris erat) potuerit errata Alexandri corrigere, tandem infert, nunc artes humanitatis revixisse & librorum bonorum tantam esse copiam, ut non oporteat nunc barbariem legere, non oporteat in Alexandri labyrintho apud Minotaurum includi, hoc est frivola discere, & nunquam perdiscere: tandem secundum adversariorum argumentum refutat, ostendens versus & exempla ex poetis citanda esse: quòd à testimonio & autoritate Servii, Prisciani & Donati Grammaticorum, denique Augustini & Hieronymi docet, &c. Hac ex Apologia Torrentini, qui ita instructus erat ab Hegio, ut si longior ei vita contigisset, forsàn totum Alexandrum exclusisset, protulimus. Quod tamen ille censuit impossibile esse, nempe ex Germanicis Scholis explodere Alexandrum, id interim *Langii* & *Hegii* discipuli, *Buschius* & *Murmelius*, qui condiscipuli fuere Torrentini, satis foeliciter tentarunt, tum quoque ipse *Timannus*, qui similiter Hegii discipulus erat: & illis omnibus res optimè successit, &c.

Hermannus Buschius, de cujus labore in expurganda barbarie Scholis audivimus, cœpit post mille & quadringentos annos circa annum 90. vel paulò post inclarescere, ut ex Hegii carmine, deinde ex suis etiam carminibus cognosco. Is cum se aliquandiu Coloniae exercuisset, & simul ibidem disticha aliquot in Langii scripta, quæ tunc curabat excudi, scripsisset, abiit Romam, & in Italiam de consilio Langii proficiscens, clarissimos quoque viros & doctissimos audivit, atque cum ipsis de re literaria contulit, quoniam ad optimos quosque autores legendos ipsum assuefecerat Langius: Reversus autem Roma & ex Italia, quo tantò commodius extirparet Barbariem, cœpit optimos autores Coloniae enarrare, & ut obscurus Alexander Scholis excludi posset commodius, doctissimum scripsit ex antiquissimis Grammaticis,

cis, Diomede, Prisciano, Servio, & aliis commentarium in Donatum, ubi omnia clarè exacteque tradit, ut ipse rectè de isto suo scripto canat:

Hinc tu nec tenebras sterilisque superflua glossa
Verba reformides, nihil hinc nisi candida, aperta
Lenia & à rudibus longè distantia disces.

Et in ipso etiã Commentario cœpit taxare barbaros, quando alicubi in eo ait: Notandum est nec more sordidorum Grammaticorum praterendum esse, scilicet ubi interdum accusativus iste in is terminetur melius & elegantius, quam in es, & ita observatum est à primis autoribus, quos Barbari isti, qui nunc passim Scholas regunt, neque legunt, neque curant, &c. Cum autem hoc pacto, quia à multis avidè iste Donati commentarius suscipiebatur, Buschius contra adversarios caput extolleret Coloniae, & tunc quoque eadem fide in philosophia, ut hic in poësi, *Cæsarius* inciperet profiteri, quem sequebatur *Jacobus Grefelius* Westphalus, non vulgari modo sed cum gratia eloquentiæ, teste *Cæsario* enarrans scriptores, nescio an effectum sit, ut *Cæsarius* tunc iverit in Italiam coactus, & Buschius deseruerit istam Academiam, Sophistarum solœcismis & turbine nimium agitatus. Discessit namque inde in alias Scholas. Interim certum est, poëtam *Astiscampianum* ea solùm de causa relegatum ex universitate illa, quòd sive eodem tempore sive dum Buschius adhuc esset in Italia, reprehenderet tantorum magistrorum obsoletam & inusitatam dictionem: & paulò antè cum *Bartholomæo Colonienfis*; ibidem repudiaret obscura & barbara vocabula, substitutis latinis & puris vocibus, iisque petitis ex bonis autoribus, non solum ipsum ejecerunt, sed etiam absentem, tanquam coquum parieti affixerunt, depromentem cibum ex olla sua, hoc est nova vocabula: Bis miseri Sophistæ existimarunt verba latiniora illa quæ à Bartholomæo erant prolata, in istius Bartholomæi culina nata esse, adeò erant barbari.

Is interim Daventriæ post Hegium, & tandem Mindæ in finibus Westphaliæ, ubi etiam mortuus est, diligentem impendit operam, ut literas & poësin suæ restitueret integritati & lepore, scripsitque doctum carmen eodem tempore cum *Torrentino*, quando Buschius inciperet, quod etiam in illo Colonienfes tunc reprehenderant: Et de studio illius Bartholomæi sic canit Buschius in libro 2. Carminum sive Epigrammatum ante annos 70.

Barbaries ægrum virosis faucibus orbem
 Polluerat, linguis sibila dira movens,
 Pejor lernæis nunquam fuit hydra cavernis,
 Fecerat hæc doctis publica damna Scholis;
 Accinctus clava sed tu Tyrinthus alter
 Sternis cerberiam Bartholomæe feram.
 Hinc te Romana jactat facundia lingua,
 Murmurat & laudes castalis unda tuas.

Abeunte autem Buschio in alias Germaniæ Scholas, venit Georgius Sibutus Coloniam, qui ut erat poëta & vir doctus, ibi professus est aliquandiu Rhetoricam: nec dum tamen extirpari adhuc potuit barbaries ex illa universitate, quoniam & illa exagitatus inde discessit.

Eodem quoque tempore cœpit, ut Horlenius testatur, extirpare
 51. barbariem è Scholis suis TIMANNUS CAMENERUS, qui exprolo
 Doctrinali Alexandri, proprium suæ Scholæ præscripsit *compendium
 Grammatices*, sed cum illud etiam antiquum aliquod barbarismi un-
 guentum nonnihil redoleret, à Murmelio dispendium est dictum.
 Quare orta est contentio hoc nomine inter Timannum & Murmel-
 lium, quàm etiam auxerunt Invektivæ Murmellii, quas tamen Murmel-
 lius suadente Langio retractavit, ut copia epistolæ Murmellianæ ad
 Timannum scriptæ & Scopario, qui in *Ædibus Quentelianis* Colonie
 anno 1518. excusus est, adjecta in fine indicat. Quanquam de ea Epi-
 stola cum sit post mortem Murmellii edita multi valde dubitent. Cor-
 rexerit interim & Timannus jam factus paululum limatior *compendium*
 suum idque opera etiam Murmellii sibi jam reconciliati, cui tunc cor-
 recto Murmellius ipse præfixit Epigramma, unde hæc desumpta sunt:

Si quis Grammatices compendia quærat, & uno
 Plurima contextu præcepta ediscere curat.
 Utilius nil hæc, nihil emendatius arte
 Comperiet, quamvis complura volumina lustret.

Sic quoque pergebat subsequenter annis *compendia Dialectices &
 Physices*, pro ratione istorum temporum, valde utilia suis præscribere
 Timannus, quæ tunc à Peringio & Horlenio publicis carminibus com-
 mendata sunt plurimum, cujus nomine ipsum etiam celebravit Petrus
 Aquensis.

52. Scripsit similiter contra illa barbara composita verborum quæ tunc
 in usu erant, alia eaque docta & utilia Joannes Murmellius anno 1504.
 De quibus ipse ita canit: Si

Si Romana puer quæris non barbara verba,
Huc ades, his verbis nulla venena latent.

Et ille hoc pacto Alexandri Galli & aliorum indocta composita expellere ex puerorum manibus voluit: Ea autem composita dedicavit doctissimo viro *Ludolpho Heringio*, qui tunc *Schola Hammonensi* præerat, is avidè suscipiens cœpit quoque barbariem extirpare ex sua Schola, quemadmodum & *Petrus Nebemius Drolshagius*, *Swallis*, &c, ut opinor, *Hervordia Theoderus Rotharius cum Horlenio*.

Redeo nunc ad *Buschium*, qui venit circa annum Domini 1503. aut 53. paulò post, si non antea in *Scholam Rostochiensem*, & reperit ibi præter horridam barbariem nihil, ejusque propugnatorem fortem ibidem invenit *Tilmannum Heverlingium*, hominem indoctum & rudem, qui tamen voluit omnium doctissimus haberi. Cum itaque *Buschius* inciperet ibi bonos autores enarrare, & studiosos ex media barbarie ad linguam latinam vocare, atque ad politiores Grammaticos, de quibus illi nunquam audierant, legendos hortaretur, Juvenalem ibidem explicandum susciperet, multos habuit auditores, sed cum hoc male haberet *Heverlingium*, cœpit *Buschium* traducere & in lectionibus & versibus affixis interdum *Beanum*, *Bestiam*, *Busium*, *Buffonem* & *Buffum* appellare. Incepit igitur in illum *Tilmannum Heverlingium* scribere *Oestrum poeticum*, in quo etiam cum *Rostochium* reliquisset, *Gripswaldia* in Academia laboravit, & tandem, si rectè memini, *Lipsiæ* absolvit anno 6. Ex hoc autem *Oestro* placuit scribere aliquot carmina, ut appareat, in quantis adhuc tenebris fuerit eo tempore ista Academia, cui solus tunc *Buschius* fenestram cœpit aperire ad linguam latinam. De frequentia studiorum ad suam lectionem sic scribit:

A multis nostras tunc incunctanter ad ædes
Itur, & ad limen grex studiosus adest, &c.

De *Heverlingio* ipso sic.

Majus *Heverlingo* nil *Rostochiana* Cathedra
Nunc habet in versu, Castalidumque sacris.
Dulcius hoc nihil est, nihil est hoc dulcius uno,
Doctior hoc nusquam baltica stagna colit.
Sic credi de se gestit ventosus & acer,
Sed tamen illius carmina sterco olent, &c.

Multa etiam vitia *Heverlingii*, quæ in Grammaticam commiserat,
colligit corrigique, & ostendit solum fuisse tantummodo *Heverlingio*
Gram-

Grammaticum commentatoremque Ascensium Badium, cum etiam isto seculo longè plures & doctiores extitisse doceat contra eundem: Sic quoque de illo ait:

Quicquid Heverlingus legit auditoribus, illud
Vulgarilingua Theutonicaque docet.

Item:

Ergo ad Heverlingum perget, meliore relicto,
Discere qui sordes barbariemque velit, &c.

Item in alio genere carminum sic: Tilmannus mala pestis est latinis, &c. Ita accidit in Schola Rostochiana. Postea elapsis aliquot annis est reformata ista Academia, sed ante reformationem fuerunt in illa
54. Schola celebres professores Westphali, *M. Hermannus Ludinckhusanus*, & alius quidam ejus consanguineus, qui circa annum 16. floruerunt ibidem & post Buschium non infœliciter incœperunt studia humanitatis tractare: sed maturius mortui sunt, ut nihil ferè effecerint. Post reformationem autem venit statim in eam *Arnoldus Burenus*, Westphalus, qui quomodo literas humanitatis & philosophiæ tractaverit, & studium eloquentiæ latinique eloquii exornaverit, testatus est aliquoties publicè Melanchthon. Quid etiam in Mathesi ibidem *Henricus Velpius*, Lingensis Westphalus præstiterit per multos annos, doctissimis quibusque viris constat.

55. Scribit Petrus Vincentius eo tempore cum Bugenhagius veniret Gripswaldiam, rem literariam melius habuisse, quod per Buschium fieri potuit, qui forsàn circa id tempus eò venit, quia non obscure colligo ex isto suo oestro, ipsum partem oestri Gripswaldiæ scripsisse: postea verò illam Scholam ornavit clarissimus vir *Hermannus Bonnus*, Westphalus, cujus laus est in omnibus adhuc Scholis propter elementarium libellum, &c.

56. Apparet quoque ex Epistola *Joannis Esticampiani* Poëtæ, quam et Maguntia ad *Buschium* dedit anno 5. quod vocatus sit *Buschius* in Mathiam ad Academiam aliquam (puto Francofortianam) an ibi fuerit pro certo affirmare nequeo. Sed venit tandem Lipsiam, quid ibi effecerit, testabuntur aliquot ibidem professorum scripta carmina. Sic quidam *Joannes Sturmius* ad Buschium scribit:

Barbara quæ quondam fuerant Lipsensia Tempe,
Nec nisi barbaricam docta sonare chelyn,
Jam nunc Agniis certant Hermanne Camœnis,
Et redolent latiam te Duce Calliopen, &c.

Item

Item Philosophiæ quidam Magister Christianus Bejoarius de eodem sic canit.

Buschio in exhaustas juvenes jam pangite laudes,
Et viridi è lauro præmia digna date.

Qui vos excoluit Latia Grajaque Minerva,
Vexit & huc Mufas ex Helicone sacras.

Item idem,

Barbara quæ fuerant hæc, fecit regna Latina
Castalios Lipsis, hoc duce potat aquas,
Ergo canendus erit, meritoque colendus honore,
Quo duce barbaries, pestis acerba, ruit, &c.

Hæsisse ipsum Lipsiæ adhuc anno 6. apparet ex Epistolis Trithemii, & non est dubium, cum Ullsenius Doctor & Eobanus Hessus scripserint doctissimū carmen in laudem Buschii, quia suis prælectionibus aliquid singulare in re litararia & explodenda barbarie præstiterit in Schola Erphordienfi (in qua isti tunc hærebant) Buschius Westphalus. Deinde vocatus est in novam Scholam Wittenbergensem à Vincentio Thamasio Ravennate, J. U. Doctore, per Epistolam in qua petit ab illo, celebrari aliquo carmine: Nam censet ipsum vel præcipuum isto ævo inter omnes poëtam. Witenbergam veniens legit in magna frequentia auditorum, & unice amplexus est illum poëta *Italus Sbrulius*: audiverunt autem ipsum sedulo studiosi poëtices *Crappus & Otto Beckmannus*, Westphalus, (quos tunc simul novos professores fuisse in nova Academia puto) prælegentem, & cum ipsum, deinde Sbrulium enarrantem poëtas observarent diligenterque audirent, coeperunt ipsi quoque certare carminibus, & tandem Crappius aliquod carmen, cui & Beckmannus suum adjecit Epigramma, non minori elegantia quam Crappii carmina erant, conscriptum, in lucem protrudere decrevit, quod factum est anno 9. tunc non sine admiratione sic cecinit Sbrulius:

Nunc in Saxonum migravit Cynthius oras,
Parnassum linquens Castaliosque lacus, &c.

Quasi diceret, antea fuit nihil nisi foeda apud Saxones barbaries, sed nunc incipiunt ibi etiam oriri poëta, & præsertim unus tantum Crappus, de quo sic pergit:

Q

Ex

Ex hoc conspiceris nunc solus flumine factus
Guittenbergensis Crappe poeta soli.

Ergo ex Wittenbergensibus vel Saxonibus nemo adhuc præter illum fuit poeta, nisi quod unus ei adjunctus esset Westphalus Otto Beckmannus. Quod si iste *Sbrulius* poeta vel ante hoc etiam tempus venisset in Westphalam, & præsertim in ejus Metropolim urbem Monasteriensem, Deus bone, quanto rectius & majore jure dixisset de Cynthio migrante in Westphalam? Nam anno quarto post sesquimillesimum scripsit Eclogas *Murmellius*, deinde edidit Monasterii Epigrammata, tertio quoque circa annum 7. libros quatuor Elegiarum Moralium, & quidem ita conscriptos, ut de Murmellii versibus Buschius diceret, eos veterum poematis esse adæquandos: Vixit adhuc eo in loco Langius, vir gravis & senex, qui multa ediderat & scripserat carmina, eaque ab omnibus doctis probata: item Jacobus Montanus Spiræus tunc Odas Spirituales scripsit: Hæserat ibi Buschius (qui etiam antea, circa annum 1490. vel paulò post ad Alexandrum Hegium ediderat libros duos suorum carminum in Westphalia: Agebat in vicinia *Heringius*. Cudebant carmina tunc quoque Monasterii *Joannes Rotgerus*, *Bernhardus Tegederus*, *Morlagius*, *Joannes Grovius*, & *Joannes Peringius*, *Timannus* ipse & alii, & præter hos erant ibi Philosophi *Petrus Aquæ*, *Ludolphus Bavincus*, *Ælius senior*, omnes viri docti, &c. Profecto, si igitur tempore in illam venisset Scholam, vix hoc tunc de Buschio longe præstantiori poeta quam decem fuere Crappii (absit tamen invidia) scripsisset, quod tunc Sbrulius de Crappo (cui nos suam laudem non adimimus) scripsit in Academia: imò equidem putasset ibidem aliquam Academiam ex ipsis Musis collectam fuisse, in quam Cynthius verè, relicto Castalidum lacu migrasset, taceo interim de Hegii discipulo Torrentino, & qui in Westphalia mortuus est, Bartholomæo Coloniensi, qui eodem tempore doctissimum scripserunt carmen.

Sed redeo ad propositum: Cœpit jam sub Buschio florere Lipsia ad quam exornandam deinceps vocati sunt viri docti. Buschius vero tunc per barbaros Theologos, ut in oratione habita Lipsiæ anno 1529. cum & ille fugere cogeretur, *Longicampianus* Mathematicus ait, expulsum Lipsiæ, rediit vel in Westphalam vel aliò abiit, nam non multo post hæsit Colonia: deinde Westphaliæ aliquandiu Scholam administravit, donec ab Hermanno Nevenario Comite revocaretur Colonia: Ve.

Verum ne hoc negligam, cum interea poësi clarus esset, & prælectionibus juris floreret *Otto Beckmannus* in Schola *Wittenbergenſi*, pedegentim factus est *Professor Lipsiæ Tulichius Westphalus*, *Murmellii* auditor, qui id strenuè perfecit, institutus probè à suo præceptore *Murmellio*, quod ibi *Buschius* in explodenda barbarie inceperat: Et huic contigit collega vir doctissimus ac juvenis adhuc *Petrus Mosellanus*, qui *Hervordia* in *Westphalia* sub *Horlenio* prima tantæ eruditionis elementa didicerat, & ut opinor, *Buschium Cæsariumque Juliacum Colonia* audierat cum *Simlero*: hinc inquam *Petrus Xenophonte* a suavitate Græcos autores interpretatus est magna cum laude.

Et quia hinc *Cæsarii* mentio facta est, potest & is cum *Agricola Westphalis* adjungi ratione vicinitatis, tum etiam aliud est, quod ipsum magis nostratibus adjungat, nempe confociatio *Juliacæ* terræ cum *Montensi Ducatu & Comitatu Ravensburgico*, (quæ ditiones simul & quasi copulata & confociata multis seculis uni paruerunt Principi) ut etiam hoc nomine quasi communicatione quadam sit is quoque *Westphalus*. Sed revertor unde digressus eram. Postea per *Beckmannum* vocatus *Hermannus Tulichius Wittenbergam* ante adventum *Philippi*, cœpit ibi alacriter profiteri bonas artes, ut in tanta ipsi necessitudine haberet *Lutherus*, ut ei sæpe sua corrigenda daret quò ad verba stilumque; nec dum barbarismus est sublatus: quia adveniente *Philippo* tanta tamen adhuc fuit ibi barbaries, ut *Philippus* orationem de corrigendis studiis ibidem habuerit, in qua eorundem barbariem in Scholastaxat. Hanc orationem doctissimo *Ottoni Beckmanno, Westphalo*, inscribit: adeoque erat per id tempus novum quid *Wittenbergæ*, cognitio Græcæ linguæ, ut cum inciperet Græcè *Philippus* profiteri, non aliter quàm Græcus diceretur. Fœdissima igitur fuit tunc adhuc *Wittenbergæ* barbaries, quando imprimis tamen literæ florerent in *Westphalia*: Imò quanta cum laude docuerit posterioribus annis *Joannes Rivinus Westphalus* in *Misnia* longo tempore, & quomodo *Terentium* emendaverit, & studia humanitatis instituerit, multis notum est, &c.

Quid interea *Buschius* circa annum 12. & 14. sequentesque, (quo tempore floruit etiam *Andreas Canter* in eadem Academia de quo diximus) egerit, ut planè *Alexandrum Gallum* è Scholis & præsertim è *Coloniensi Academia* extirparet, indicat præfatio commentarii sui in

Raptum Proserpinæ Claudiani ad Adolphum Eickholtz, Canonicum D. virginis ad gradus, Coloniensem, scripta, ubi acriter insectatur Alexandrum Gallum & illos, qui oratores & poëtas oderunt, & ostendit neminem scilicet vel ad Theologiam vel ad Juris utriusque prudentiam cæterasque Philosophiæ & Medicinæ artes idoneum futurum & perventurum, qui non in alio grammatico quàm in Alexandri stabulo versatus sit: Et qui aliter putet, obtusum esse: et si (ait mi Adolphe) tales ita magno numero sunt, ut non solum angulos quosdam sed Gymnasia, thermas, theatra, porticus, plateas, & fora omnia, ipsa quoque templa repleant, arctissime inter se foederari adversus nos ipsos nostraque humanitatis studia, qui putant nullum ad eximiam aliquam eruditionem pervenire, nisi qui in Alexandro versatus sit. Item postea non desit, quin acrius instaret ad profligandam Alexandri barbariem, quæ sic pergit scribere *Buschius in Decimationibus Plauti*, quæ tunc prodibant: Tu, quod Cicero, quod Varro, quod Livius, quod Florus, quod Valerius, quod uterque Plinius & cæteri emunctissimi scriptores locuti sunt, dubitas imitari, nisi conniveat Alexander? Hunc tu judicas idoneum stolidè, qui de Vergilio aut Cicerone pronunciet? Quid si idem velis, ut sus Minervam doceat? &c. Hæc *Wesalia* scripsit: Tandem *Vallum Humanitatis* (scriptum doctissimum) emisit contra istos adversarios anno 1518. ubi satis prolixè conqueritur *Buschius* in isto Vallo: Quomodo quidam poëtriam (sic enim ajunt isti) barbarè loquentes contemnant, & artes puritatemque linguæ vituperent, & tantum ab illis Grammaticis Alexandro & Eberhardo omnia peti velint, verba ejus sunt tomo 3. Certè sic nunc utuntur, quicumque modo primam & secundam, ut vocant Alexandri, & composita verborum attingit, satis superque jam ad omnes Pandectarum leges & universos libros Canonicos percipiendos idoneus auditor est. Imo si quid præterea in latinis literis profecit, omninò id veluti superfluum in eo damnatur. Imò quantò quis rudior fuerit, tantò fermè aptior ad leges & canonem censetur. O temporum incitiam! O quantis vitæ in tenebris degitur ævum! Divus Hieronymus propter latinum sermonem se ab ipsis incunabilis inter Grammaticos Rhetoresque & Philosophos detritum esse dicit, ut sic posset esse utilis Ecclesiæ. At nunc prohdolor optimæ indolis pueri & Ecclesiasticis quoque officiis præficiendis, Grammaticos & Rhetores audire quotidianis propè convitiis prohiben-

bentur, præter unum Alexandrum Gallum cum Glossa notabili Coloniae nata, quem, si consultum profectui eorum vellent (quia se solos rectè nunc consulere illis putant) prohibendi erant vel procul aspicerent. An incorruptum latinæ linguæ sermonem puero dabit Alexandri textus informis? Pumex aridus citius certè aquam postulanti dedit, &c. Et expressè barbaros quosdam Coloniae tomo 1. & 4. in Vallo Humanitatis, tanquam Phormiones perstrinxit, ridiculeque ait illos Coloniae Rhetoricam sub Grammatica primæ & secundæ partis Alexandri comprehendere, rem philosophiæ ignorantes, &c. Et in præfatione ait Hermannum Nevenarium Comitem penè solum studia bonarum literarum sola colere Coloniae.

Tandem se conjunxit *Buschius Reuchlinianis*, & cum videret *Ortwinum Gratium* se *Hochstrati* causæ adungere, qui ante decennium ipsum hac de causa in quadam Epistola, quàm anno 9. adjecit Buschii Commentario in Donatum, perstrinxerat, quod tale Grammaticum scriptum censuisset etiam magnis magistris & Doctoribus frugiferum & utilis fore in Academiis, Buschius in prima editione (quæ verba ille in tertia editione omittit, dum curaret in ædibus Quentelianis illud recludi) tandem factum est, ut obscurorum virorum literæ ad Ortwinum prodirent, in quibus est magna querela omnium de Buschio. Quare is fuit latinæ linguæ strenuum propugnaculum contra barbaros in multis Academiis. Postremò venit in *Scholam Marpurgensem Buschius* & post ipsum *Joannes Glandorpius Westphalus* qui ibi tanta laude profecti sunt, ut etiam de absentibus *Casparus Rodolphus*, qui tamen Westphalis non erat admodum æquus, sæpe diceret: Illam Academiam nunquam habuisse eloquentiores professores duobus istis Westphalis: Sed hæcenus de Buschio.

Porro quanto etiam labore conatus sit *Murmellius* ex Westphalorum & inferioris Germaniæ Scholis excutere Alexandrum, indicat ejus *Scoparius & utilissima tabula rei Grammatica*, quas Hermanno Stuvio cum Joanne Alexandro Meppensi, agenti Swollis, inscripsit, orans his verbis ipsum: Te verò mi Hermanne & Joannem Meppensem communem amicum non minus literatura præstantem quàm piis moribus & sacerdotio venerabilem maximopere oratos velim, ut, quod vestra sponte jam pridem facitis, in id unum omnes ingenii vestri nervos intendatis, ut explosa veteris Alexandri barbarie, cum politioribus literis

teristum castissimis moribus ab ineunte aetate dociles pueri se gaudeant erudiri, &c. Unde apparet, quod voluerit Murmellius correctum etiam opera Torrentini Alexandrum è Scholis abjiciendum: Ideoque simul ipsis dedicavit suum Scoparium, quò etiam ex illa Schola correctus Alexander excluderetur, & ut deinde hoc uno reliquæ Scholæ ab isto barbaro Alexandro & aliis ineptis mundari possent. Quod quidem Murmellius & Buschius fortiter effecerunt. Et sunt prefecto libri, quibus hoc effecerunt uterque, Vallum Humanitatis & Scoparius contra Barbariei propugnatores, planè aurei & digni, ut quovis seculo ab omnibus legantur. Quod ergo scribit Torrentinus factum esse in Italia per Aldum Sulpitiumque, ut ex istius Nationis Scholis excluderetur Alexander, id in Germania per Buschium & Murmellium opinor factum esse post Torrentinum. Murmellius contra Alexandrum Gallum, Sulpitii, Aldi, Antonii Illuminati & Mancinelli verba prolixa de ipsius obscuritate, incitia & barbarie profert in Scopario, deinde Jacobi Wimpelingi, Erasmi quoque sententiam & verba etiam sua ex tabulis componendis versibus, ubi sic ait: Non satis prudenter agunt plerique, qui sciolis & semidoctis literatoribus filios suos tradunt imbuendos, apud quos inepti versus Alexandri Galli, Faceti & Alani aliaque pleraque, quæ barbariem olent, infœlicibus discipulis præleguntur, &c. Explicat deinceps locos quosdam difficiles & obscuros ex poetis & comicis, atque multorum commentatorum barbariem indicat, ostenditque utiliores scriptores & commentatores in omni literarum genere & facultate, & quantæ fuerit lectionis, iudicii, ingenii & doctrinæ, quantusque latini eloquii reformator, in illo uno libro *Scoparii* & postea in libro *Didascaliorum* ostendit affatim, ut etiam Buschius in Vallo suo Humanitatis & Decimationibus Plautinis, &c.

Cum autem hæc ita à *Meppensi* & *Stuvio* contenderet Murmellius, illi hoc strenuè nec segniter absolvent & perfecerunt, atque non solum *Swollis*, sed etiam *Meppensis* cum *Henrico Sibao Olphenio* idem effecit *Osnaburgæ* & alibi, ut literæ quam maximè in *Westphalia* florerent. Et quantus in hac re vir fuerit Meppensis hæc in *Paræneticis Epigrammatis* ad ipsum scripta carmina apud Murmellium indicant:

Eloquii salve cultor facunde latini,

Quo duce barbaries tollitur è medio, &c.

Sed Murmellius immatura morte è medio tollitur non sine jactura rei literariæ in istis nostris regionibus. Vene.

Venerat tunc *Jacobus Montanus*, Spirensis, Monasterio Hervordiam, qui scripsit antequam Murmelli tabulae Grammaticae prodirent, opus Grammaticum pueris instituendis quoque longe accommodatius, quam Alexander, & postea eodem tempore cum Erasmus Copiam & opus de conscribendis Epistolis, & Adrianus Cardinalis in Hispaniis observationes Latinae locutionis in lucem daret, vel paulo ante haec tempora, hic Jacobus Thesaurum Latinae constructionis, item duo opera collectaneorum Latinae locutionis ex optimis autoribus in usum Scholarum congeffit, & sic ille, tali opera juventuti Hervordianae & per totam Westphalam, imò Germaniam, plurimum profuit, & ex media barbarie ad Latinae linguae phrasin & purioris dictionis exercitia revocavit. Nam tum de *Godescalcis, Ricciis, Scoris, Fabritiis, Nizoliis, Caliiis*, & aliis excellentibus viris, qui postea hoc longè scelicius tentarunt per Germaniam, nihil sciverunt pueri & majores nostri. Recte ergo inquit *Glandorpius*, cum Saxoniam superiorem adhuc grandis occuparet barbaries, docerenturque non nisi Alexander & Alanus caeterique consimilis farinae scriptores, pulchrè meliorum literarum propagatrix florebat Hervordia. Hic vir clarissimus *Jacobus Montanus* superioribus illis connumerandus enituit, Hic *Theodorus Rotarius, Josephus Hortenius, Rodolphus Mollerus*, ut caeteros prae teream, magni nominis celebritate docuerunt. Et antea hoc jam scelicitè perfecerat in urbe Mindensi *Bartholomaeus Colonienfis* cum suo Conrectore *Pollio*, ut è Scholis barbari pellerentur.

Jam etiam dicendum mihi esset de magno illo *Erasmo*, de quo potius tacendum erit, quam multa referenda, cum per omnes Scholas totius Europae ipsius studium, eruditio & labor, quem extirpandis barbaris & restituendis optimis autoribus in utraque lingua impendit, notus & probè perspectus sit. Hic cum *Goelenio Westphalo* praeclearam operam navavit, ut etiam purgaretur ab omni obsoletae barbariei pulvere adhuc reliquo Academia Lovaniensis. Hinc idem *Erasmus* sic ad *Goelenium* scribit libro 17. Epistolarum, Deamo te qui tam graviter rem geras in professione linguae Latinae, tuaque doctrina pariter & ingenio exornes collegium Buslidianum: Foelix iuventus nostra, quae in hoc seculum incidit: prorsus inviderem, nisi toto pectore faverem utilitati publicae, Quo magis obstreperunt *οὐ βάρβαροι*, hoc magis ac magis gliscit ardor juvenum, spretis illiteratis literis, ad

me-

meliora grassantium, video quid mereatur istorum improbitas. Sed tu quod temporis eras perditurus, aut certè malè collocaturus rixando cum malis rabulis, hoc bonis studiis iuvandis impende. Vis tibi commonstrem splendidum ac magnificum vindictæ genus: fac ut te ipsum præbeas & inculpatis moribus virum & sedulum ac diligentem optimarum literarum professorem. Nulla ratione possis istos citius ad suspendium adigere, quo sanè dignissimi sunt, qui publicis bonis tantopere cruciantur, non aliis modò, verum etiam sibi ipsis invidentes. Et mox. Quid enim sensuri sunt cordati viri, quum audient Lovanii & Poëtices & Rhetorices professionem nec obsecnitatis habere quicquam nec maledicentiæ? Theologicas lectiones ac sacras etiam conciones mendacissimis convitiis sic esse effrenatas, ut excrentur, &c. Ex his verbis Erasmi colligitur, quomodo pugnaverit contra barbaros istos in ea universitate Goclenius pro restituenda linguæ latinæ puritate in istam Scholam, exclusis ineptis verbis & dictione prioris seculi. Quid verò Erasmus ipse in ea ipsa & in aliis & Academiis & Scholis fecerit, quid referre opus erit? Jam tamen velim mihi indicari à quoquam, an aliunde tam multijugæ lectionis, iudicii acerrimi & amplissimæ doctrinæ initia quam ab Hegio Westphalo perceperit Daventriæ Erasmus? Quod si igitur nihil aliud Germaniæ vel tota etiam Europa accepisset à Westphalis, quam quod Erasmus ab homine Westphalo talem & tam scèlicem ad utriusque linguæ & omnium literarum genera ingressum percepit, satis esset: & profectò gratiæ habendæ essent à Germanis Westphaliæ. Sed quam multa sint bona, quæ per Westphalos passim Germaniæ contulit Deus, ex parte jam à nobis relatum est: in primis autem ei plurimum debet Saxonia & inferior Germania, in qua literas primum accendit *Hegius*, deinde Hegii discipuli *Drolshagius*, Meppenensis, uterque homo Westphalus: tum etiam *Torrentinus* & postea *Murmellius*, qui etsi instructus ab Hegio Westphalo esset puer, tamen cum profiteretur bonas artes Monasterii in Westphalia per annos 12. quotidie se exercendo & scribendo & cum multis doctis, in primis cum *Langio* conversando, prælegendoque in Scholis profecit ita, ut hinc compararet sibi variam & multijugam eruditionem, quæ attulit postea in inferiorè Germaniam, Alcmariam usque in Hollandiam, & sine dubio jam confirmatior factus in Westphalam, cumque etiam omne genus literarum percurrisset, usus

regio-

bibliotheca Langii & ejus consilio & opera, institutioneque istam regionem suis tunc doctissimis scriptis ac publicis prælectionibus illustravit, hoc est, in tota inferiori Germania omnibus aliis per diversos locos magistris autor fuit, ut exclusis barbaris, puriores Grammaticos & autores prælegendos suis auditoribus susciperent, in qua re ei adjutor fuit *Alardus Amstelrodamus*, ipsius olim auditor. Habemus ergo, quomodo opera Westphalorum & qui ex Westphalia celebriores venerunt, & in ea sibi nomen pepererunt, inferior quoque Germania barbarie Alexandri & aliorum exuta sit, &c.

Er ut adhuc unum referam, retulit mihi 23 Augusti hoc anno 62. Hervordia vir doctissimus & venerandus senex *Joannes Glandorpius* in suis ædibus, se in publica lectione *Wittenbergæ* audivisse ex ore *Longicampiani* Mathematici, quod ipse in longa professione, per diversas regiones, & in primis per totam Germaniam oon reperisset doctiores in sua ista de Mathesi professione, quàm duos in Westphalia viros, quorum alterum Monasterii repererat nomine *Petrum Gimnichum Aquensem*, alterum *Mindæ Bartholomæum Colonensem*, &c. Hæc Longicampianus, qui Lipsia anno 10. expulsus, venit Wittebergam & ibi per multos annos professus est Mathematica summa cum laude. Habemus nunc laudem Westphalorum, &c.

66.

Quid igitur aliud restat, quod nisi Germania nostræ Westphaliae multum debeat? In ejus vicinia natus est *Rodolphus Agricola*, natus est in ea Rodolphi familiaris & coævus, qui cum à *Wesselo Groningensi* initia græcæ linguæ, cujus cognitione admodum flagrabat, percepisset per litteras, tandem à Rodolpho reverso ex Italia rectè in ea lingua institutus plurimum profecit *Hegius*, fuit utriusque amicus *Rodolphus Langius* Westphalus & in Westphalia fixas habens sedes. Quod verò tunc foeliciter in superiori Germania fiebat per Agricolam & ejus discipulos, præcipuè autem *Wimphelingum*, qui in patria habebat præceptorem Westphalum, id in inferiori Germania *Hegius*, *Langius* verò in Westphalia tentavit. Quodque illi primùm inceperunt, id probè *Buschius*, *Murmellius*, *Bartholomæus Coloniensis*, *Trimannus*, *Erasmus*, *Goclenius*, *Jacobus Montanus* (qui ut maximam suæ ætatis partem in Westphalia transegerat, ita & in ea mortuus est) *Otto Beckmannus*, *Tulichius*, & post hos in diversis locis, *Horlenius*, *Tunicus*, *Rotarius*, *Glandorpius*, *Meppensis*, *Burenus*, *Rivius*, *Mollerus*, & qui alias ratione communio-

R

nis

nis & unitatis sub uno Domino, Westphaliae addicti sunt, ut *Casarius*, & alii perfecerunt in Scholis Germaniae nostrae.

Veneremur igitur nostram patriam, quae tales viros protulit, quae tantos viros aluit, & contra vitilitigatores illos, qui Westphaliae nostrae & ex ea oriundis solent iniquiores esse, fortiter pugnemus. Est commune proverbium, pugna pro patria: taceo nunc alia officia, quae à Westphalis omni genti per orbem conferuntur. Vive igitur, gaudeque Westphalia foelix, etsi à multis aliis spreta: quoniam & tu hoc praereliquis habes praerconii, quod non solum populum laboris patientem proferas, sed etiam ex te illi prodierint, qui apud patres nostros multis in Germania eruditione praerluserint. Videamus etiam & nos, ut majorum vestigia ingressi, certè si non augeamus, saltem aliqua ex parte acquisitam jam semel Doctorum virorum, qui nostri cives fuerunt, operam laudem patriae nostrae conservemus, nec perire permittamus, vel quasi ignavia obscuremus: sed ut illam nostra opera quotidie ampliolem facere studeamus. Et cum hanc gloriam inviderent multi nostrae Westphaliae, imò praeripere conarentur, denique hoc tantum beneficium apud multos periisset, rectè me fecisse putabam, si ego perituram patriae celebritatem fulcirem, haecque vobis, quae fortè latebant, indicarem. Quae decet vos loco maximi beneficii censere & aestimare. Dixi.

FINIS.